

TRACTATVS  
DE PERFECTO  
CONCIONATORE, ET DE HIS,  
QVÆ AD RECTE, ET PERFECTE  
CONCIONANDVM  
SPECTANT.

PER DOMINVM D. ILLDE  
*fonsum Mefsia de Touar, Villacaf-  
tinenfem, Epifcopum Aftu-  
ricenfem.*



CVM PRIVILEGIO

---

ASTVRICÆ,  
*Apud Hieronymum Morillo,*  
*Anno, 1624.*

TRACTATUS  
DE PERFECTO  
CONCIONATORE ET DE HIS  
QUE AD RECTE ET PERFECTE  
CONCIONANDUM  
SPECTANT.

PER DOMINUM D. ILDE-  
phonum Mersia de Tonnar, Villacal-  
lensem, Episcopum Altit-  
vicensem.



CUM PRIVILEGIO

ASTVRIE  
Apud Hieronymum Morillo,  
Anno 1624.



PIO, ET STUDIO  
LECTORI.



ON dubito equidem, lector  
charissime quin ea, quæ his  
tribus libris de vera, & falsa  
gloria mandavi, & quæ huic  
tractatello de perfecto con-  
cionatore mandare instituo, in varias con-  
cionatorum reprehensiones incursum sint:  
non eorum tantum qui nihil laude, aut  
memoriæ dignum efficientes, quid in alie-  
nis laboribus reprehendant, quærunt: sed  
multorum etiam qui Catonianam quan-  
dam seueritatem profitentur, & ab hoc vi-  
tio per alieni iudicantur. Præsertim illorū  
qui magnum in concionatoribus nomen  
habent, & incredibilem sui opinionem  
consecuti sunt. Atq; ij cum nonnulla sibi  
deesse viderint, sine quibus non perfectum  
omnino concionatorem constare posse  
negauimus, ridicula dicent esse omnia, &  
inania, ne ipsi veteri existimatione, quasi  
multorum annorum possessione decidisse  
videantur. Ego tamen tractatello hoc

## Præfatio

iuuare adolescentium studia, nō senes offendere volo. Et vt ille inquit, *Si quisquā est qui placere studeat bonis quam plurimis, minimeq; multos ledere, in his ego nomen profiteor meum.* Cū ergo huiusmodi ministerium, & prædicationis munus ita admodum in Ecclesia necessarium sit vt cū fructu & prouentu exerceatur, recteque sciatur: de perfecto concionatore, deq; rebus ipsis ad eum pertinentibus, & necessarijs, tractatellum hunc facere visum mihi fuit: cū graue esset nimis, & homine Christiano indignum quidquam reticere, quod vtile, & necessarium, & ad fratrum emolumentum palàm sibi proferre videretur. In eo refero ea quæ cum magna vigilantia, assidua cura, & exercitatione in scriptura sacra, & sanctorum libris perlegi & vidi. Optoque hac mea solum mediocritate, (quam vix mediocritatem appellare audeo) reipublicæ toti Christianæ pro viribus prodesse. Quod felix faustumque sit, & ad summi omnipotentis Dei, & immaculatissimæ Virginis, & Matris Domini mei Iesu Christi Mariæ laudem, quam ab  
infan-

*ad lectorem.*

infantia mea patronam, dominam, & dominatricem semper habui, & totis visceribus teneo, & reuerentia colo, quam humiliter rogo, & suppliciter exposco, vt impetret mihi famulo, & seruo suo Spiritum Filij sui, Redēptoris mei Iesu Christi: vt vera sapiam, vera loquar, & quæcunque dicenda sunt dicam: ad fratrum, & proximorum meorum fructū, & emolumentum. Amen.

(.?.)



in ista mea paroniam, dominam, & do-  
 minantem semper habui, & totis viri-  
 bus reor, & reuerentia colo, quam hu-  
 mili et rege, & suppliciter exoritur, ut  
 preter meum famulo, & seruo suo spiritum  
 filii sui Redemptoris mei Iesu Christi, ve-  
 ra sapientia, vera locutus, & quicquid  
 dicenda sunt dicam: ad fratrum,

& proximorum meorum  
 fratres, & consanguineos  
 tam, Amen. (.)





TRACTATVS DE PERFECTO  
CONCIONATORE.

CAPVT. I.

*In quo ostenditur ratio scribendi hunc tractatum. proponunturq; summam ea, quæ necessaria sunt ad perfectum concionatorem.*



VM Mecum sæpè cogitarem, & in summos homines, ac summis ingenijs præditos intuens quærere cepissem, cùm multò plures in alijs artibus, quàm in concionando egregios extitisse videamus? Nam philosophos, & theologos excellentes inueniemus multos, iurisperitos præstatißimos, & penè innumerabiles proferre possumus. Quanta verò sit, fueritq; semper cõcionatorum paucitas optimorum,

vel hinc licebit iudicare, quòd vix vnum in pluribus inuenimus, in quo non aliquid, aut desideremus, aut reprehendamus. Ac mihi quidem cogitanti in causa esse videtur, quòd multis ex rebus hæc facultas constet, in quibus singulis elaborare permagnum est.

Sunt enim plurima cognitione comprehendenda, sine quibus inanis esset verborum vel optimorum, & ornatissimorum sonitus. Omnes animi motus pernoscenti, antiquitas tenenda, ad excogitandum acumen, ad explicandum ornandumque vbertas, ad memoriam firmitas, atq; diuturnitas.

Adesse debet etiam actio elegans, & venusta cum quadam dignitate, & gravitate, vox, linguæ solutio, latera, vires. Sæpe enim qui ingenijs, atq; arte valent, quia voce absoni sunt, aut lingua hæsitantes, aut vultu, motuq; corporis vasti, atq; agrestes, omnia, quæ laudanda erant, obruunt.

Ex his, quæ ab arte accipi poterunt, accipienda sunt, quæ naturæ sunt, & donari ab arte non possunt, quædam doctrina



meliora fiunt, si bona sint, quædam si vitium habent, corriguntur. Non est igitur omnino desperandum, nam multa usu, atque industria consequi possumus, quæ nobis a natura negata videbantur. Quemadmodum Demosthenes incredibili quadam diligentia multa naturæ impedimenta superavit. Erat enim in eo spiritus angustior qui ad longiusculam verborum comprehensionem satis esse non posset, domi apud se continebat animam in dicendo diu, ita effecit ut vna cōtinatione nemo illo plura verba proferret. Dicitur etiā ita balbus fuisse, ut eius artis, in qua tantopere præstabat primam literam non posset dicere, perfecit meditatione, & labore, nemo ut planius loqui videretur. Nec mirum esse debet tot & tanta in concionatore conquiri, magnum enim est onus, (ut quidam ait) atque munus suscipere, atque profiteri se esse omnibus silentibus vnum, maximis de rebus magno in conuentu hominum, audiendum. Et ut Dionysius ait, omnium nobilissimum est Deieffe cooperatorum in reductione animarū ad ipsū.

Concionandi ars est valde difficilis.  
Cicer. i. de oratore.

Dion. Arce pag.

#### 4 De perfecto concionatore,

Principiò igitur vt ad rem deueniamus, proferamus ea, quæ à nostro concionatore præstari volumus, ijs vt perfectis, ad munera sua obeunda pro dignitate illi instrumenta præbeamus.

Nec hic summa proponuntur, vt homines in desperationem trahantur, aut adipscentur omnes, sed vt quisque eo properet, magisque in dies incitetur, & tantum se profecisse intelligat, quātò proprius ad exemplar illud accesserit.

Quatuor  
primo, &  
præcipue  
necessaria  
in concionatore.

Vt igitur summam comprehendam, quattuor inesse volo in perfecto concionatore, scilicet, multarum rerum, & maximarum scientiam, vitæ integritatem, desiderium utilitatis aliorum, libertatem in loquendo.

Hæc in integro sunt omnibus, & sunt concionatorum propria, quorum est prodesse magis quam placere. Nam cetera quæ prius dixi, ad oratorem potius videntur pertinere, qui non utilitatē, sed delectationem querit, nec tam cupit bene dicere, quam bene dicere videri.

Quòd si quis cum istis quattuor vocis:  
suauis.



suauitatem, actionis venustatem, conformationem, & figuram totius oris, & corporis coniunxerit, non solum eum in hoc genere perfectum, sed diuinum etiam hominem vocabo.

Dixi primò, scientiam multarum rerum in vero & perfecto cōcionatore queri, sine qua (vt iam dixi) inanis, & irridendus esset sermo noster, & insana quedam verborum volubilitas, potius quàm concio diceretur. Qua in re plurimorum audaciam, ac licentiam miror, qui primis theologiæ rudimentis nondū satis instructi, quidam multo etiam prius quàm ad theologiam veniant, nihilq; præter stultā illam loquacitatem adferentes, concionari impudenter volunt quod nunquam didicerunt, & magistri fieri, qui nondum discipuli esse potuerunt. Ardent immensa cupiditate dicendi, ac ubiq; audiri volunt, freti, videlicet non maiorum nostrorum libris, quos ne viderunt quidem, sed doctorum hominum concionibus, quibus cōmentarios manu scriptos implent, & tunc se doctissimos putant, cū plurima scripserunt.

1. Est, scientia multarum rerum.

Cōcionatorum insipientiū audacia reprehenditur.

Cócionum  
eómentaria  
manuscrip-  
tarum, ma-  
ximè coercē-  
da igni tra-  
denda.

Equidē nisi horum hominū audacia, & temeritas coërceatur, ac istæ scriptę cōcionēs igni tradantur, multū Ecclesiarum vtilitati, eruditorumq; virorū existimationi detrahetur. Nam illa ipsa scripta cursim ab auditore parū erudito excepta, plena sunt interruptionum, atq; vitiorum, deinde ab altero nihilo magis docto trāscripta, quasi corpus lacerum, & sanguine, ac puluere conspersum, nec à parente quidē suo agnoscerentur. Quò fit vt eadem in ore plebeiōrum, minorumq; concionatorum semper se ipsis deteriora fiant, & stultis, ac fallacibus opinionibus populus imbuatur, quas dum illi magnorum hominū auctoritate tueri volunt, à quibus se accepisse dicunt, aut vires falsitati addunt, aut illorum honorem, dignitatemq; lædunt.

Quòd si hominū leges, ac iura continent, illa Dei voce terreri debuissent. *Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui fur ātur verba mea unusquisq; à proximo suo.* Nō enim inficiari possūt furari se, qui aliorū verba inuitis ipsis rapiunt, seq; alienis plumis impudentissimè venditant, volentes (vti

Jerem. 23.

Pau-

Paulus ait) esse legis doctores, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Discant igitur prius quæ per se ipsos doceant, aut si id sine cathulis emendicatis consequi, atq; habere non possunt, fabris tractanda relinquat, Iacobusq; audiât, *Nolæ, inquit, plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam manus iudicium sumitis.* Alij nec multò doctiores, nec prudentiores relictis fontibus, hoc est sacris literis, vetustorūq; Patrum libris, ad novos quosdā scriptores quasi ad tenues, & arentes rivulos, interdū non valde puros veniūt, qui scriptis mandauerunt cōciones suas, easq; ediscentes magna doctrinæ, & eloquentiæ opinione vociferantur in templis.

1. Timoth. 1.

Iacob 3.

Qui si veteres sacrae scripturae interpretes non viderunt, neq; eorum eruditioni assuefacti sunt, non habent cur in hoc docendi genere versentur: si viderunt, cur elegantissimos Ioannis Chrysostomi, Basilij, Augustini, Gregorijq; conciones, atq; aliorum plurimorum sanctorum, pietate atque doctrina refertas, ac multò differtissimas, auctoribus alijs (quos pigeat quoq; nominare) postponunt?

Non reprehendo piorum hominum labores, qui munusculis suis domum Domini ornare studuerunt, sed eis maiores præfero, concionatoresq; monco, veteres ut primum legant, deinde si periculum facere velint, in horum libris paululum commorentur: pudebit fortasse postea temporis malè collocati, cum viderint plus ex illorum paucis versibus, quàm ex horum longissimo volumine decerpi. Si mihi aliquot horas laborandum est, cur non eas in maximos potiùs auctores, quàm in minutos conferam? Id scilicet est repertis frugibus, glande vesci.

## CAPVT. II.

*In quo ostenditur, quantum ad concionatorem grammatica, ars poetica rhetoricaq; valeant.*



igitur proposita magis elucelcant, à primis fundamentis hoc palàm proferamus, ut concionatori nostro nihil deesse ad efficiendum rē tam præclaram, & præstantem ut decet, videatur.

Cum

Cùm primum itaque per primas literas & ætatem licuerit, ad grammaticam veniat, mea quidē sentētia, nono, aut ad summum decimo ætatis anno, & tandiu veniat, quoad quantum profecerit non pænitebit. Sed sit grammaticus, quantum fieri potuerit, probus, & religiosus, nè dum literas addiscit ætas illa cerea, & ad formandum facilis, malis quoque imbuatur moribus: multum enim refert (vt auctores sunt Plato & Aristoteles) quibus quisque rebus à puero assuescat, quia natura tenacissimus eorum quæ prima percepimus ætate. Sit magister in latinè loquendo expeditus, & facilis, in proferendo diligens, ne iam tunc puer vitia imbibat, quibus aures eruditorum offendat.

Grammatica optime addiscenda.

Dùm in latinis literis moratur, mihi quidem certè non displicebit, si ad poëticam quoque respexerit, & illa versuum numerosa structura delectatus fuerit, summosq; poetas studuerit imitari. Etenim si egregius, & excellens in hac arte euaserit, poterit cum Dauide Dei optimi maximi laudes canere, aut (quod viri grauilissimi, &

Ars Poët. ad discenda.



eruditissimi fecerūt) nostrorum heroum res gestas cum laude, & gloria posteritatē trāsmittere. Quòd si illum à natura sua, aut illa præstantis ingenij vis fortè deficiet, id vt studij genus inuita minerva tentasse videatur, assequetur saltē illa exercitatione, tēpora vt in syllabis, quantitatēq; cognoscat, emendatissimè pronunciet, & in aliorū errores dicere possit, incidere nō possit.

Rhetorica  
in primis ad  
discenda.

Artem verò quam trito quidē illo & per vulgato, sed Græco tamē vocabulo, rhetorice appellamus, totā addiscat, totas ingenij vires ad eloquentiā intendat, totum se ad disertorum, prudentiūq; hominum iudicium cōponat, declamet quotidie, cernat cum equalibus, nunquam respiciat minores, instet præcedentibus, aut eos (si nō potest) obseruet semper, & sequatur.

Interea vt diuitem ad dicendum materiam paret, oratores & historicos studiose legat, poetas euoluat, plurima ediscat ex utrisque, nullum diem abire sinat sine linea, quod Apelles accuratè, ac sedulò fecisse narratur.

In eo autē nihil est quod ego quidē libētius

tius



tius probē, quā excelsum animum, & generosam quandam elationem, maxima v<sup>t</sup> semper appetat, multos videat, paucissimos imitetur, eosq; veteres, & multorū sæculorum iudicio, consensioneq; probatos.

Itaq; si poeticam attigerit vnum Virgilium in heroicis sibi proponat imitandū, Ovidium in Elegis, in Lyricis Horatium, Iuvenalē in satyris, in epigrammatis Martialem. Cū verò se se ad liberiores orationem conuerterit, & eloquentiæ gloriā affectauerit, totum se Marco Tullio tradat, vnum admiretur, vnum intueatur, in quo vires suas experta est eloquentia, cuius vbertatē, copiam, grauitatē, reliquasq; immortalis ingenij dotes, quantum facultate consequi potuerit, auidissimē sequatur.

Et si multos esse non ignoro, quibus eam tatum abest vt probentur, vt latinum concionatorem rideant, oratorem verò, & Ciceronianum nullo modo ferant. Sunt illi quidem ita Barbari, & stulti, vt nullam opinionis suæ causam probabilem habeant, nisi quòd inuidia torquentur.

Nec me verò visum Hieronymi mouet,

Qui autem res imitandi sunt in arte poetica.

nec verbera quibus ille diuinus, & incomparabilis vir cæsus est, quo suam inscitiam, veluti clypeo, regunt in eruditi, nam ego talem concionatorem formare intendo, qui Ciceronianus possit esse, simul & Christianus. Nec falsis imaginibus (vt tifici solet) delusum esse per quietem Hieronymum causabor, tametsi multis id placuisse video, apertior est ac firmior eius viri asseueratio maiorq; auctoritas quam vt à nobis possit, aut debeat infringi, Sed ille vt in hoc ipso loco nō dissimulat, iam paulò ætate, & studijs prouectior, cū totum se sacris literis additurus erat, offensus arida, ieiunaq; oratione, interdum neq; perfecta, neq; conclusa, ab Apostolis, & prophetis ad Quintilianum, & Ciceronem quasi ad veteres delicias totus reuertebatur. Ne autē ingenium illud accerrimum (sic enim fuit) & laborum patientissimum, quodq; cunctæ Ecclesiæ tā salutare futurum erat, in ethnicorum libris veluti ad Syrenum scopulos consenesceret, illum Deus optimus maximus, nouo, & inaudito modo ab incepto deterruit, & a cursu, quem cape-

rat reuocauit, vt exinde ethnicorum hominum libros nunquam deinceps lectitaret, qui fidei, quam per quietē dederat ita semper recordatus est, vt ad Paulam, & Eustochium multò post scribens suos illos commentarios in epistolam ad Galatas quasi subrustico, & tenui, atque conciso dicendi genere conscriptos excuset, quod Hæbraici sermonis stridor paulatim latinum vitiaffet, & essent iam quindecim anni, aut cò amplius postea quam Romanos auctores ne vidisset quidem.

Hier. epist.  
ad Paulam.  
& Eust de  
custodia vir  
ginitatis.  
Lib 3. in pro  
hemio.

At ego quidem nihil ex hoc moueor, vt non vehementer cupiam concionatorem nostrum ita esse institutum, vt Ciceronianè semper dicat, aut si fieri posset, vellem alterum esse Ciceronē. Etenim cum hic noster non sibi soli natus fuerit, sed etiam toti rei publicæ, eiusq; sit dicendo, diuina oracula interpretari, animos hominum flectere, cur non elegantia, ornamentisque verborum utetur? Cur non Ciceronianè, hoc est quam rectissimè, loquetur? Magnum enim adiumentum affert ad in-

Rhetoricæ  
magnabis,

co persuadendum, sed vim etiam afferendum, nitor, & venustas in dicendo. Cùm enim ad purum, & incorruptum sermonem adiunguntur illa oratoria ornamenta dicendi, capitur suauitate sermonis auditor, cupitque de re doceri, nec minus concione quàm auis cantu suspensus, & erectus tenetur.

Quamobrem rhetores (quorum labor omnis persuadendi ratione continetur) intellexerunt id culto, & eleganti genere dicendi effici, multaque de eo præceperunt. Nā Nestor cuius Homerus eloquētiā mirificè laudauit, talis in dicendo fuisse memoratur ab eodem auctore, eius vt ex ore melle dulcior flueret oratio.

Cùm autem oratores omnia contemnant quæ parum ad persuadendum valere videantur, quid existimabimus causæ fuisse, vt viri maximi de verborum elegantiā, & puritate acerrimè contenderint, nisi hæc esset magna laus oratoris, & concionatoris, & ad id quod vult efficiendum præstantissima.

Quanto cum risu Senatus populi que

Ro.

Romani, & quanto cū suo dedecore Sisen-  
na reprehensus est à C. Ruscio, quòd Chris-  
tilium cū defenderet, dixit quædam  
eius sputatilica esse crimina? Quam acriter  
Æschines in Demosthenem invehitur,  
cū quædam eius verba exagitat, illudens  
que dura, & odiosa, & intolerabilia esse  
dicit.

Si ergo maximum persuasionis mo-  
mentum, & pondus in eleganter ornateq;  
loquendo positum est, negari non potest,  
neque debet nostrum concionatorē rhe-  
toricum esse debere. Est enim ars illa utilis  
& semper fuit ad permouendos, & con-  
uertendos animos, valetq; plurimū ad  
amplificandam virtutis dignitatem, vitia  
extirpanda, ad emolliendum asperatos, &  
agrestes hominum mores, ad pacem, tran-  
quillitatemq; seruandam.

Non enim cum his hominibus viui-  
tur, qui nuda veritatis, & virtutis specie  
capiantur, quā nec intellectu quidē bene  
assequi possunt, illa enim si videretur, mira-  
biles amores excitaret sui, ideoq; adhibēda  
sunt ornāmēta innumerabilia, quę populū

Rhetorica  
encomia.

Rhetorica  
cur necessa-  
ria.



ad audiendum, & ad agendum trahant. Ut enim fœmina forma luculenta, & liberali, si nuda conspiciatur, deformis etiã videtur, aut multum certe venustatis amittit, ita virtus, ac veritas sua quidem sponte pulcherrimæ, & admirabiles vix recipiuntur, nisi his quasi ornamentis vestiantur. Vnde patet maiores nostros huic arti omnes fuisse deditissimos, & ea, quæ in illa præcipiuntur in populares conciones, & in libros suos congesisse.

Viri antiqui  
preclarissimi  
qui in Rhetorica præ-  
titerunt, &  
floruerunt.

Aristides Atheniensis philosophus (ut ab Apostolicis temporibus repetamus) eloquentissimus fuisse traditur. Qua laude Melito Sardenſis Episcopus non caruit, nec præful Corinthiorum Dionysius Areopagita, nec Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ præbyter, nec verò Apollonius, qui adversus Montanum, & furiosas illas vates longum, & eloquentiæ, ac eruditionis plenum volumen elaboravit. Origenis Adamantij domus, velut ludus cunctæ Egypto, & Græciæ patuit, in qua cum alias artes, tum etiam rethoricam docebat. Fuit eodem tempore Ammonius vir disertus,

& eruditus.



& eruditus in philosophia, disertissimus postea Malchion Antiochenus, & Anatholius Alexandrinus, & eiusdem ciuitatis Picius, qui Iunior Origenes vocabatur. Lucianus etiam præbyter inter eloquentes enumerabatur, & Eusebius Emyſenus, & suæ tempeſtatis eloquentissimus Tryphylus.

Quid de Gregorio theologo dicā, qui etiā poetica arte maximè excelluit? quid de eius amico, & æquali Basilio? Chriſostomus aureum eloquentiæ flumen effundit, ac nomine etiam quantus sit indicat, ut est (ut ita dicam) grandiloquus cum ampla & sententiarum grauitate, & maiestate verborum, vehemens, & copiosus, & ad mouendos animos paratus, ut fluit etiam cum opus est lenis, quasi amnis placidus, dulcis, facetus, florens, & ornatus, ut agnoscas ubiq; hominem in causis agendis, laboreq; forensi summo, & indefesso studio ab ineunti ætate exercitatum. Ac ut Cyrillum, Theodoretum, Theophylactum, aliosque Græcos disertissimos viros præteream, & ad latinos veniam, quale

specimē pietatis, & eloquentiæ dedit Apollonius Romanæ vrbis Senator cū librū de fide sua corā Commodo Imperatore legit in Senatu. Cypriani autē eloquentiā quibus laudibus extollit optimus ingeniorū spectator, & iudex Augustinus? Arnobius, & Victorinus doctissimi homines quemadmodū, & Cyprianus, ludum artis rhetoricæ aperuerunt. Fuit etiam id tēporis Lactantius Firmianus orator ille quidem præstantissimus, quamvis eruditione minimè cum superioribus conferendus.

Post hoc Ambrosius poeticæ artis haud ignarus, permultis operum suorum locis facile ostendit magnos se se habuisse progressus in eloquentia, eiq; nō segniter operam adhibuisse, neque enim frustra infantis ori in cunis iacentis insedit apum incredibilis multitudo, (quod idem de Platone memoriæ proditum est) sed illo magno atque admirabili prodigio eius suauitas, & vis in dicendo portendebatur.

De Hieronymo nihil necesse est dicere, omnes cōfitebuntur quo ardore animi hoc studij genus fuerit persecutus, & eius ope-

ra ita declarāt, hebes vt sit qui nō intellexe-  
rit, stultissimus que negarit. Cū docet feda-  
tus, ac placidus fluit, cū explicat altiora, sub-  
tilis, cū ad amicos scribit tēperatus, insur-  
git sēpē, & figuris quasi luminibus illus-  
trat orationē, artēq; ostentat: sed vbiq; gra-  
uis, amplus, & copiosus, ornatus, & senten-  
tiosus.

At cū res est cum aduersarijs, tūc opes  
explicat suas, tunc dicēdi vires ex erit, volu-  
cri, atq; incitato flumine verborum raptat  
hæreticos, argumētaq; omnia, quasi parū  
firmē fundatas, & cōstitutas domos, impe-  
tu suo demolitur, totus ardet, nec tantū  
fulgurat, & tonat (vt de Pericle dixit Aris-  
tophanes poëta) sed etiam fulminat.

Augustinum nemo erit, opinor, qui ne-  
get vehementer oratorum disciplinē stu-  
diuisse, cū libellum de ea scriptū relique-  
rit, & eādē se Carthagine docuisse fatea-  
tur. Quis igitur illo dulcior? quis aut ver-  
bis ornatior, aut sentētijs crebrior, aut ad  
pugnā instructior? habet suos neruos, atq;  
aculeos, sed nō ita vt Hieronymus efferues-  
cit, sedare animos mauult, quam incitare.

Nihil ferè habet iratum, nihil atrox, nec aliquàndo vt ab omnibus intelligatur reformidat verba communia, sermonemq; popularem.

Sed quid ego patres nostros quasi meæ causæ testes adduxi, cum possim fortasse comprobare illos ipsos qui Spiritu Sancto afflati tam salutaria nobis scripta reliquerunt, nunquam ab hac arte alienos extitisse?

Sunt apud oratores permultæ figuræ verborum, & sententiarum, tanquàm lumina quædam, & ornamenta orationis, in quibus opportunè debitoq; ordine locandis magna pars industriæ rhetorum versatur, has tamen omnes in diuinis scriptis reperiri testis est, & quidem grauissimus, ac locupletissimus diuus Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 7.

Et quàmuis magni ponderis apud nos esse debeat vel vnius Augustini auctoritas: validioribus tamen nitimur rationibus. Possemus enim, nisi graue vobis esse intelligeremus, innumera exempla congerere, posset vt quiuis facillime intueri illa

Aug. lib. 3.  
doctr. Christ.  
tia. ca. 29. &  
lib. 4. c. 7.

illa ipsa quæ oratoribus maximè laudatur, in nostris scriptoribus inueniri.

Sed nec mihi vacat, aliò properanti ea persequi, & qui periculum facere uoluerit, det primum operam rhetoribus, deinde se se ad sacrorum librorum lectionem conferat, inueniet profectò eos, quasi amænos hortos his floribus refertos, atque onustos.

Nam (vt alios prætermittamus) si ueniamus ad Pauli epistolas, ubi sunt elegantiores metaphoræ quàm in his? ubi quæ à Cicerone membra, incisaq; vocantur, paria paribus adiuncta? itemq; cōtrarijs relata contraria, quæ sua sponte etiam si id non agas, cadunt plerunq; numerose? ubi melius oratio nunc coniunctionibus copulatur, nunc dissolutionibus relaxatur? Quo fit, è minus vt si aspicias, ieiunas & aridas, atque omnis ornatus expertes censeas, si verò còminus intuearis, ingrediarisque altiùs inuenies Alcibiadis (vt aiunt) Sylenos.

Paulus Apostolus maximè excelsit in Rhetorica in epistolis suis.

Habeo profectò fautorem, ac patrum Augustinum, qui meam sententiam,

Aug. lib. 4.  
de doctr.  
Christi. c. 6.



Questio. An  
sacri auto-  
res fuerint  
eloquentes?

aut potius suam ab inuidia vindicabit. Est enim (vt sciatis) in ijs quæ sunt de doctrina Christiana libro quarto cap. sexto, ab eo diligenter versata hæc quæstio: An maiores nostri (de Apostolis loquor, & prophetis) cum sapientia, quam in eis summam fuisse nemo negat, eloquentia coniunxerint, vt horridis illis, inornatisque verbis non sapientiæ thesauri solùm, sed dicendi quoque ornamenta quasi rudibus viles contegantur?

Dènum cùm omnia meditatus esset, intellexit vir natura peracutus, & prudens, & constanter affirmare ausus est, nihil illis ad grauissimum, & ornatissimum dicendi genus, nihil ad summam eloquentiam defuisse. Nàm cùm persuasioni animorum seruiat orator, eaq; solidis, & ponderosis argumentis efficiatur, quis nō videt eorum orationem eloquentem esse, quæ non solum ad persuadendos animos, sed etiā ad concutiendos, & trahendum plurimū va-

Jerem. 23.

Ad Hebr. 4.

let? hinc est illud, *Verba Dei esse, tanquam ignem, & tanquam malleum conterentem petras, vina, & efficacia, & ancipiti gladio*

acu-



*acutiora.* Quæ non ita à viris sapientissimis Paulo, & Ieremia, imo à Deo ipso appellarentur, nisi obduratos etiam animos emollire possent, eisq; suauem quandam vim, & voluntariam afferre.

Sed id ipsum quod dicebam, amplius explicemus. Omnem vim oratoris in rebus, & verbis sitam esse nemo est qui nesciat.

Oratoris vis sita est in rebus, & verbis.

In inuentione, collocacione, elocutione, pronuntiatione, & memoria.

Ad hæc enim inuentio, collocatio, elocutio, pronuntiatio, & memoria referuntur. Hæc si in nostris scriptoribus inuenerimus, cur eos ab oratorum circulo exterminabimus?

Inuentionem quidem in illis maximam fuisse facile intelliget qui viderit quæ admodum fidem faciant eis, quibus volunt persuadere, & quæ admodum orationem eorum animis admoueat. Quis Paulo Apostolo fuerit ad inueniendum acutior? ad excogitandum prudentior? ad eruenda argumenta diligentior? Quo ingenio inuenit? quo iudicio expedit? Non utitur imprudenter copia, nec abutitur ingenij sui feracitate, sed omnia cum videt, fortiora, & utiliora seligit, leuia

quædam, aut aliena, aut non vtilia relinquit. Hoc nec grauior extitit quisquam, nec (vt ita loquar) callidior: ita nihil prætermittit, quod ei causæ quam agit vsui esse possit: quod de Paulo dico, de cæteris quoq; intelligo, qui eiusdem numinis præsentia, & maiestate scripserunt, sed vnum profero, quo breuior, & expeditior euadat disputatio.

At in collocandis, disponendisq; rebus (quod totum prudentiæ est) nostros maximè præstitisse constat, quippe qui & sapientissimi fuerunt, & ab illo ipso Deo mouebantur.

Memoriam vero in ijs nullus desiderabit, quam omnes habuerunt admirabilē. Nam actio, quæ est quasi corporis quædā eloquentia, & cui primas, & secundas, & tertias Demosthenes tribuebat, tam egregia fuit, & tam apta, vt summam hominū admirationem excitarent, placido & quasi obsecrante vultu adhortabantur, seu ero, atq; ardenti reprehendebant, hilari, & amico consolabantur, vocem cum rebus ipsis mutabant, cōtenta enim voce atrocia dice-

cebant, submissa lenia, inclinata grauiā inflexa miserabilia, sed erant omnia plena grauitatis.

Superest elocutio quæ propria oratoris est, & à qua eloquens dicitur, quæ tunc perfecta est, cum singula verbis, quibus maximè oportet, exponuntur. Quamobrem eius fundamentum (vt præclare inquit Marcus Tullius) est sapientia, vt enim in vita, sic in oratione nil est accuratiùs obseruandum, quàm quid res, personaq; deceat, quod nos decorum appellamus. Nō enim in omni loco, aut tempore, nec apud omnem conditionem, & ætatem eodem verborum genere dicendū est, aut sententiarum. Itaq; multa amplissimis verbis, & magna vocis contentione dicenda sunt, multa etiam submissa, & subtiliter, quædam acriter, leniter alia. Atque (vt in poetis uidemus) aliter loquitur seruus, quā herus, mulier quam vir, iuuenis quam senex,

Videbitis igitur in nostris auctoribus proprium quēdam dicendi characterem, non illum quidem ad Ciceronis, aut De-

mosthenis exemplar expolitum, sed amplum tamen, & magnificum, plenumque grauitatis. Nō enim decebat summos, atq; diuinos viros, non decebat rerum tantarū amplitudinem, & grauitatē illa quasi puerilis oratio. Nouum & veluti senile, aut regale scribendi genus inueniendum fuit, quo augusta illa mysteria in oculis cōspectuq; hominum exponerentur, quod vt in illis plurimum habent auctoritatis, & decōris, ita in alijs, quasi adolescentibus, aut infimis hominibus minimè reciperemus. Legite (vt omittā alia) cantica Salomonis: splendet in illis mira quædā maiestas, & diuina imago sapientiæ, quæ si in alijs inuēta essent, vix possemus à risu liberare.

Præclarè ergò, & grauitè Augustinus, horū scripta cū legit, nihil esse posse diuini arbitratur, nec ea quæ dicunt aliter fuisse dicenda, aut si dicerentur, minus dignitatis, & venustatis habitura.

Certè mihi idē vsuuenit, atq; Augustino, quæ enim intelligo, præclara mihi videntur, & planè diuina, nec aptius vllō modo dici posse: quæ autē nō intelligo, quamuis  
non

non ita elegantia videantur, tamen non minora cæteris iudico: sed potius castigo ruditatem, & imperitiam meam. Et quidem foelicissima quæq; ingenia non aliter opinor de illis iudicabunt, atq; quàm Socrates de Heracliti libello, in quo pulchra esse dixit quæ quidem ipse intelligere potuisset, nec inferiora reliqua putare, sed opus esse tamen Delio natatore.

Diogen La-  
ert in vita  
Socratis.

Marcus Tullius cum oratorē quæreretur quem Antonius nunquam se vidisse testatus est, illū esse statuit qui ita diceret, ut probaret, ut delectaret, ut flecteret. Probare, necessitatis esse aiebat, delectare, suauitatis, flectere, victoriæ, id esse in quo vis sit omnis oratoris, id vnū ex omnibus ad obtinēdas causas posse plurimum. Quis igitur melius aut vehementius probat, quā nostri, cum probatione opus est? quis grauius docet? quis delectat magis? equidem oratoribus, & poëtis siue nostris, siue alienis, plurimum me fateor delectari, Platonis libros mira cum suauitate lego, sed ad nostros cum venio, & mortali ore Spiritū Sæc cum audio loquētem, sordēt mihi omnia,  
erigi-



erigitur animus, & incredibili quadam voluntate mulcetur.

Scripturæ  
lectionem,  
at sanctorum,  
cur pauci ap-  
petant.

Quòd si quis horum scriptis, quibus nihil est suavius, parùm delectatur, id ex altera duarum causarum oriatur necesse est. Aut quòd minimè percipit, aut quòd animum habet flagitijs sordidatum, & à vera sapientia, solidaque voluptate nimis alienum. Quì enim fieri potest, vt id probet aliquis quod nescit? aut qui se libidinibus, fœdisque voluptatibus conscclerauerunt ijs literis oblectentur, quæ eiusmodi hominibus sempiterna suplicia minitantur? Quamòbrem horum iudicium incorruptum esse non potest: quemadmodum nec ægrotorum, cùm in melle amaritudinem quandã inesse dicunt, aut carbones suauiter mandunt. Illius potius sententiã audiamus, qui rectè cùm intelligeret, nec esset sordidis voluptatibus impeditus, *Quàm dulcia, inquit, faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Salomon verò in prouerbijs, & in sapientia, ac Iesus Sirachi filius quoties hoc ipsum prædicant, quod & à Dauide acceperant, & in

in se ipsi experiebantur?

Illud verò quod in oratoris officijs tertium numerabatur, hoc est animos quocunq; impellere, copiosius ostendi neminem ex oratoribus esse cum nostris comparandum. Si autem id quod in oratore præcipuè appeti solet, & in quo tota eius vis posita est, in nostris auctoribus maxime inuenimus, cur eis eloquentiæ gloriā, non illam quidem affectatam, sed debitam tamen adimemus?

Quare cum tria sint omnino genera dicendi, quoddam grandiloquum & vehemens, alterum humile pressum, atque limatum, tertium temperatum, & mediocre: atque inter hæc duo interiectum, in quorum singulis quicunq; præstiterunt, magni & excellentes habiti sunt: videamus quantum nostri in singulis, aut etiam in omnibus excelluerint.

Triplicem  
nunc dicendi.  
grandiloquū,  
humile, tem-  
peratum.

Nostris illud sapientiæ, *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neq; operibus attendentes agnouerunt quis esset ar-*

Sap. c. 13.

tis ex.

Sap. c. 14.

Sap. 13.

Sap. 7.

tifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut cita-  
 tum aërem, aut gyrum stellarum, aut ni-  
 miam aquam, aut solem & lunam rectores  
 orbis terrarum Deos putauerunt. Et illud  
 rursus, Iterum alius navigare cogitans, &  
 per feros fluctus iter facere incipiens, ligno  
 portante se fragilius lignum inuocat. Ac pos-  
 tea, Cum enim quietum silentium tenerent  
 omnia, & nox in suo cursu medium iter ha-  
 beret, omnipotens sermo tuus Domine exi-  
 liens de cælo à regalibus sedibus, durus de-  
 bellator in mediâ exterminij terram prosi-  
 liuit, gladius acutus in simulatum tuum  
 imperium portans, & stans repleuit omnia  
 morte, & usq; ad cælum attingebat stans  
 in terra. Quid his dico potest grauius, aut  
 amplius? Quid magnificentius? Habe-  
 mus etiam in eodem lib. 2. generis exem-  
 pla, quo nihil humilior, Sum quidem & ego  
 mortalis homo, similis omnibus, & ex gene-  
 re terreno illius qui prior factus est, & in v-  
 tre matris figuratus sum caro, decem men-  
 sium tempore coagulatus sum in sanguine,  
 ex semine hominis, & delectamento somni  
 conueniente. Et ego natus accepi com-  
 munem

*nem aerem, & in similiter factam decidi  
terram, & primam vocem similem omni-  
bus emisit plorans, in inuolumentis nutritus  
sum, & curis magnis.*

Medij vero generis illud, *Iustorum ani* Sap. 3.  
*ma in manu Dei sunt, & nō tanget illos tor-  
mentum mortis, visi sunt oculis insipientiū  
mori, & aestimata est afflictio exitus illorū,  
Quòd si necessarium esset, aut difficile, of-  
tēderem in his tribus generibus peræquē*  
*Mosē, Iobum, Dauidem, ac denique  
prophetas omnes, & Apostolos flo-  
ruisse.*

In Paulo certè illa ipsa perpulchrè, cū  
opus est, miscentur, & ab intelligentibus  
suauissimè leguntur, (videlicet sapientiam  
etiam non accersita sequitur eloquentia)  
vtitur semper cū docet limato illo, subti-  
liq; sermone, *Dicite mihi qui sub lege vul-* Paul. ad Ga-  
lat. c. 4.  
*tis esse, legem nō legistis? Scriptum est enim  
quòd Abraham duos filios habuit, vnum  
de ancilla, & vnum de libera. Sed ille qui  
de ancilla, secundum carnem natus est, qui  
autem de libera, per repromissionē: quæ sunt  
per allegoriam dicta, hæc enim sunt duo*  

C

*testa-*

Ad Gal. 3.

testamenta, & quæ sequuntur. Et ante hæc, Fratres secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum, nemo spernit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, semini tuo, quod est Christus.

Ad Rom. 12.

Sed non ubique humi serpit, ad surgit cum vult, media illa & temperata dictione, Obsecro itaq; vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Nec mul-

Ad Rom. 13.

tò paulo post, Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere. Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, nõ in cubilibus, & impudicijs, non in contentione, & emulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.

At cum rei magnitudo postulat, ardet pròtinus, & vi, ac impetu spiritus attolli-

tur,



tur, grauis, acer, vehemens, summa cum grauitate, & celeritate verborum. Notum iraꝑ; est illud, quo nihil grauius, aut altius esse potest, *O altitudo diuitiarum sapientia, & scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis cõsiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in saecula saeculorum: Iam illud quam plenum grauitatis? Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Dò nec suo flumine ad illud peruenit oratio, *Os nostrum patet ad vos ò Corinthij, cor nostrum dilatatum est.* Prudens profectò, ac sciens prætereo multa in Paulo his similia, nam ea, quæ attuli satìs esse puto, vt intelligatis id quod in oratore suo postulat Cicero, in nostris inueniri, vt & humilia subtiliter, & magna grauitèr, & mediocria temperate possint dicere.

Quòd verò Paulus Græci sermonis imperitum se esse dicit, nihil eloquentiæ suæ detrahit, nam si Græcè Marcus Tullius,

Ad Rom. ii.

2 Cor. 6.

Aug. li. 4. de  
doctr. Chrif-  
tiana. c. 7.

aut latinè Demosthenes scripssisset, neque alienæ linguæ flosculos, & lumina adhibuissent, non possent immortalem illam facundiam dissimulare, non possent non disertissimi videri. Tametsi hoc Augustinus potius ab Apostolo dictum fuisse credit, ut obrectatoribus, & inuidis cederet, quàm quòd ita de se ipso sentiret. Cùm ergò omnia quæ in arte rethorica præcipiuntur in auctoribus nostris insit, quis erit tã hebes, ut inficietur eam prorsus addiscendam esse concionatori, non solum ut illi aptè explicentur, sed etiam ut rectè, & proprie intelligantur?

Ex quo illud efficitur, eum, quem instituimus, concionatorem, necesse fore (ut copia ad dicendum suppetat, tam verborum sublimium, & sonantium, quam exemplorum, & similitudinum, & rerum deniq; omnium) poetas, historicos, ac oratores lectitare. Exemplis enim mouentur quidam, comparationibus, & similitudinibus alij, multi magnorum, ac sapientium virorum auctoritate.

Et quàmuis autem multò firmiora sint  
aucto-

auctorum nostrorum testimonia, quàm  
 externorum, tamen vsuuenit sæpè vt cum  
 ijs nobis res sit, qui nostros non magnifi-  
 ciant, aliorum verò sententijs, dictisq; mo-  
 ueantur. Itaq; Paulus (quid enim virum sa-  
 pientissimum lateret) vidit id non abhor-  
 rere ab Apostolici viri grauitate, atq; con-  
 stantia, & ad animos hominum flectendos  
 permultum ponderis habere: Titumque  
 hortatur, vt desides ignauosq; Cretenses  
 illo Epimenidis versu coerceat, atq; repre-  
 hendat, *Cretenses semper mendaces, mala  
 bestia, ventres pigri.*

Inuentus

dil. vna

Ad Tit. 12

Epimenides

Corinthios verò in Græcorum poeta-  
 rû lectione versatos ab stultis, infidelibusq;  
 sermonibus graui hoc, & sententioso Me-  
 nandri Senario deterret.

Menander

*Colloquia mores praua corrumpunt  
 bonos.*

1. Cor. 15.

At cum inter Athenienses versatur, mul-  
 ta quæ ex sacris libris afferre poterat, pru-  
 dens omittit, ac versu Arati poetæ, nec illo  
 quidem integro, cœlesti genere nos satos  
 esse probat.

Aster. 17.

*Genus eius, nam sumus omnes.*

Aratus Poe-  
ta.

Et sanè sicam orationem ad Romanos haberet, nec diuinos auctores commemorasset, nec Aratum adduxisset, sed illud potius Lucretij.

Lucretius. *Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi.*

Augu. lib. 2. *Omnibus ille idem pater est.*

de doctrina  
Christ. c. 40. *Quamòbrem scitum est illud Augustini non solum nobis non esse fugiēdos libros ethnicorum, verum etiam omnia quæ ab illis benè dicta sunt, in nostrum vsum, velut ab iniustis possessoribus vendicanda: Hebræorumq; exemplum sequendum, qui ex Ægypto exeuntes, grauiores quidē sarcinas, & idola reliquerunt, aurum verò, atq; argentum Deo auctore retulerunt.*

Certè Moses ille, quo nullus vnquam mortalium familiarius cū Deo vixit, omni sapientia Ægyptiorum eruditus fuisse dicitur. Et (vt ad recentiores veniamus) quas opes ex Ægypto Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Victorinus, Optatus, Hilariusq; extulerunt, has Hieronimus in rebus etiam maximè seris dissimulare non potest: Augustinus in libris de ciuitate Dei

ad Marcellinum ita explicat, vt nihil prophanarum literarum intactum, atq; inexpertum reliquisse videatur.

Græci etiam in hoc genere copiosissimi, Origines Adamantius, Celso contra nos pugnantem Porphyrio, Methodius, Eusebius, Apollinaris, ethnicorum armatura fortissimè restiterunt. Aristides vir eloquentissimus, & Quadratus discipulus Apostolorum libros pro Christiana religione philosophorum sententijs contextos Adriano Imperatori obtulerunt, Horum industriam, ac diligentiam imitatus est postea Iustinus philosophus, & martyr: vt interim Melitorem Sardensem, Dionysium Corinthiorum Episcopum, Pantænum Stoicum, Clementem Alexandrinum, Athanasium, Eusebium Cæsariensem, atq; Emisenum, Basilium, Gregoriū, Theodoretum, aliosq; innumerabiles trāseamus. Philo pythagorius à Græcis Iudeus plato vocitatur. Iosephus in Appionem Alexandrinum Grammaticum pro suæ gentis antiquitate cunctam Græcorum bliuiothecam euoluit, vt nescias quid in



Hier. in Epi-  
stola ad mag-  
num orato-  
rem.

his, quos memorauimus prius, admirari  
debeas (vtar enim verbis diui Hieronimi)  
eruditionē sæculi, an scientiam scriptura-  
rum. Non igitur dedecet, aut Christiani  
hominis, aut concionatoris dignitatem  
ethnicorum librorum studium, neque in-  
honestum erit concionatori rhetorica,  
atque alijs sæculi disciplinis vti, tanquam  
famulis, ac pedisequis. Imo homo longē  
doctissimus, ac eloquentissimus Cypria-  
nus, & à Firmiano & ab alijs reprehendi  
solet, quod aduersus Demetrianum ethni-  
cum, non externorum auctorum tes-  
timonijs, sed sacrorum (quos  
ille certē contemne-  
bat) de fide dis-  
putarit.

(.?.)

CAP.

## CAPVT. III.

*De peritia linguarum, atq; dialectica, ad  
concionatorem etiam necessaria.*



ED His iam omisis, tùm lati-  
nis literis, tùm etiam arte re-  
thorica imbutus hic noster  
concionator, ad Græcas, &  
ad Hebraicas continuò supe-  
ris bene fortunantibus proficiscatur.

De peritia  
linguarum.

Etenim sunt illæ necessariò addiscēdæ,  
ei qui summus esse cupit, & multò satius  
est, vt discantur ea ærare, quæ neq; grauioribus studijs tenetur, & est ad linguarū cog-  
nitionē habilior. Quòd si tunc cuiquā mi-  
nime licuit, & proximum erit, vt quā pri-  
mū licuerit ad earū studium magna animi  
constantia accingatur. Nam qui vix à limi-  
ne salutatis animum despondent, & quasi  
lōgi, atq; impediti itineris difficultate de-  
terrentur, & ignauiam, ac leuitatem testā-  
tūr suam, & ignorare prorsus videntur, in  
arduo sita esse pulchra, iuxta Græcorum  
prouerbum.

Atq; Hebraicæ quidem linguæ cogni-

tio, tametsi ad ea, quæ in veteri testamento scripta sunt, tantum utilis esse videatur (quæ certè utilitas maxima est) Græcam, cum ad res multa valeat, non solum summo cōcionatori, sed etiam mediocri percipiendam esse, nemo dubitavit. Nam Latinū sermonem (in quo iam non tam educati, quam nati videmur) impetrari nō potest ut quis recte calleat, qui non idem caluerit & Græcum, Romani enim innumera propè Græcorum vocabula usu ipso Latina fecerunt, adeò ut ille ipse Cicero qui linguæ suæ copiam ut augeret, omnia latinè dicere tentabat, Græcis vocibus quas consultò fugiebat, vel inuitus uti sæpissimè cogatur. Itaq; nomina quoq; ipsa cū rebus à Græcis mutuati sunt latini, quos, qui Græce nesciunt, rectè intelligere non possunt.

Quod si ad dialecticam, & philosophiā veniamus, in quibus Græci cæteris facile præstiterunt, & quas concionatori necessarias esse postmodum ostendemus, quantum ad Platonis, Aristotelisq; libros Græca profint, ijs qui experti sunt dijudicandū

relinquamus. Certè quidem in Aristotele,  
 atque alijs Græcis auctioribus multa oc-  
 rûnt, quæ cum latinè, aut obscurissimè, aut  
 ambiguè dicta sint, Græcè, hoc est, lingua  
 sua, disertissimè dicuntur, & apertissimè.  
 Atq; ea sanè de causa inter Aristoteleòs vi-  
 detis nulla ex parte Latinos cum Græcis  
 esse conferendos, diuum Thomam sem-  
 per excipio, qui magnas rerum difficulta-  
 tes immortalis ingenij, diuinique iudicij  
 facultate superauit. Cùm vero par sit in  
 omnibus ratio, non obscurum est idem  
 vsu sæpè ijs venire, qui sine Græcæ, Hebrai-  
 cæque linguæ præsidio sacras literas ado-  
 riuntur. Incidunt illi sæpenumero in eas  
 angustias vnde spes exeundi nō sit, & mul-  
 ta se se exactè intellexisse credent, quæ ne-  
 attigerint quidem. Quod confirmat di-  
 uus Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana,  
 cap. 11. dicens, *Cōtra ignota signa mag-  
 num remedium est linguarum cognitio, &  
 latine quidem linguæ. Homines quos nunc  
 instruendos suscepimus, & duabus alijs ad-  
 scripturarum diuinarum cognitionem ha-  
 bent opus, Hebraæ, scilicet, & Græcæ, ut ad-  
 exem-*

Aug. lib. 2.  
 de doctrina  
 Christ. c. 11.

exemplaria precedentia recurratur, si quā dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas. Et paulò post, Sunt enim quadam verba caterarum linguarum quæ in usum alterius lingue per interpretationem transire non possunt. Hoc multis in locis Augustinus cōfirmat libro citato, à cap. ii. vsque ad. 16. quos breuitatis causa prætereo. Et Hieronimus in epistola ad Vitale sic ait, *Et siquidem in historijs aliter haberent septuaginta interpretes, aliter Hebraica veritas, confugere poteramus ad solita præsidia, & arcem lingue tenere vernacula.*

Hier. epist.  
132. ad vitalem,  
tom. 3.

In Clem. inter  
solicitudes, de  
Magistris.

Ex quo intelliges quā prudenter à Clemente Quinto Pontifice maximo cautum sit, vt linguarum magistri publicis stipendijs, ac facultatibus alerentur, & vt cetera taceamus, quantam voluptatē asserre solet bonis ingenijs rem ipsam in propria lingua, quasi in fonte intueri, vt non tantū sententiā, sed illa ipsa verba teneat, quæ ex sacro prophetarū. & Apostolorū ore prodierunt. Habet enim vnaquæq; lingua suas proprietates quæ verti in aliam nequeunt, vocabu-



cabula quæ integrè reddere non possit interpretes, locutiones multas & cōsuetudines, quas homines aliarum linguarū ignorant, magnosq; viros interdum torquent voculæ & locutiunculæ in quibus inesse recōdita mysteria suspicantur, quas illius idioma-  
tis periti minimo negotio interpretantur.

Has igitur vtilitates, atq; hæc cōmoda nobis affert cognitio Græcarū, & Hebraicarum literarum, inter quas etiam Chaldeas numeramus, quæ cum posterioribus commune vinculum, & quasi cognationē magnam habent, quod plurima loca, atq; ea quidem obscurissima aperiunt, argumētum copiam, & locos suppeditant, sensus varios, & acutos ostēdunt, cōtrouersias dirimunt, ambiguitatesq; declarant.

Sed quoniam prodibant noui interpretes, neq; illi quidē admodū orthodoxi, vnusquisq; puram illam & incorruptā Dei doctrinā ad suos sēsus, atq; errores detrahebat, ne malum in dies cresceret timebatur. Cōpescenda ergo fuit audacissimorū hominū licētia, & perniciosi conatus frāgēdi, atq; vna ex omnibus diuinorū librorū eligēda  
inter

Vide de hoc  
Magistram  
Melchorem  
cano de lo-  
cis Theolo.  
lib. 2. c. 5.  
per totum.  
Latissimē.  
Et Martine-  
z hypotypo-  
seon lib. 1.  
c. 6.

Concil. Tri-  
dent. sess. 4.

interpretatio, quæ purior esset, & tutior,  
& quæ in se nihil erroris, aut prauitatis cō-  
tineret. Quare consultissimè Patres in Tri-  
dentino Concilio Spiritus Sancti luce ra-  
diati, ac illustrati, vulgatam editionem ele-  
gerunt, quam semper maiores nostri pro-  
bauissent, quæq; (cū Græci codices in  
varios casus aliquando incidissent) semper  
in Romana Ecclesia perlecta, conseruata-  
que fuisset. Sed nunquam illis in mentem  
venit, vt aut Græca, aut Hebraica exēpla-  
ria consulere vetarent, vt hæc ipsa melius  
intelligeretur. Nam si inutile putassent  
vtriq; linguę operam dare, tū studiosos  
ab illis deterruissent, tum verò eorum ma-  
gistros, ipsaq; Græca, & Hebraica exēpla-  
ria de medio sustulissent.

Dialectica.

Illam vero laudatarum omnium artiū  
procreatricem, & quasi parentem philoso-  
phiam, quis dubitabit magno studio per-  
discendam esse? Cuius tres sunt partes (vt  
Platoni, Ciceroni, atque alijs summis vi-  
ris placuisse video) vna de vita & mori-  
bus, altera de natura & rebus occultis, ter-  
tia de differendo, & quid verum, & quid fal-

falsum, quid rectum in oratione, quid prauum, quid consentiens, quid repugnans, iudicando.

Quamuis nescius non sum hanc tertiā, quæ dialectica vocatur, à multis non partem, sed instrumentum philosophiæ numerari. Sed vtcūq; sit, ab ea incipiendum est, atq; hac, ceu vnica scientiarum ianua omnium, ad sapientiæ adyta penetradum. Nam cū hæc ars doceat rem vniuersam diuidere in partes, eius vim, & naturam definitionibus ante oculos exponere, ambiguitatem perspicere, quid antecedens, & consequens sit: quis ambigat sine eius præsidij non solum theologiam, sed neque vllam omnino ingenuarum artium cohærere posse? Quis verò est, qui non magno perè expetat inuestigare veritatem, falsis non asentiri, copiosa probabilitate nō falli? Aut quis est qui sine dialecticæ adiumento isthæc sibi possit polliceri? Itaque qui huius artis rudis, & ignarus est, quæ ceterarum omnium est quasi præsidium, inermis sit necesse est: vt neque sua tueri rectè possit, neque aliena confutare, quod cū

omnibus turpe sit, nulli turpius esse quàm concionatori Christiano potest: cuius est Catholicam veritatem constituere, & tueri, & Hæreticorum errores, docta atq; acuta disputatione dissipare, vitia destruere, ad virtutes exhortari, moresq; componere: quod Augustinus in, 2. lib. de doctrina Christiana confirmat dicens, *Disputationis disciplina ad omnia genera questionū, quæ in literis sanctis sunt pertractanda, ac dissoluenda plurimum valet.* Et perclarè & latissimè in, 1. lib. contra Cresconium Grammaticum à cap. 14. vsq; ad 20. Et Hieronymus in epistola ad Paulinum, thom tertio.

Aug. lib. 22  
de doctrina  
Christ. c. 31.

Aug. lib. 1.  
contra Cres-  
conium gram-  
maticum, à  
c. 14. vsq; ad  
20.  
Hier. epist.  
ad Paulinum,  
103.

Sed bona profectò pars dialecticorum huius tempestatis in magno & aperto errore versatur, nam cùm omnis differendi ratio duas habeat partes: vnā inueniendi, alteram iudicandi, & vtranque Aristoteles diligentissimè docuerit, iudicandi vias studiosè prosequuntur, & ad vsum potiorē & ordine naturæ certè priorem (vt Cicero ait) totam relinquunt. Omnis eorum labor, & omnis industria (quam adhibere solent

solent maximam) quinque Porphyrij vocibus, & Aristotelis categorijs, & priori Analyfi, posteriorique terminatur, libros Topicorum, qui argumentorum sedes, & quasi thesauros ostendunt, quique docent de re proposita in vtranque partem probabiliter disputare, quod proprium est dialectici, & potissima veterum Peripatericorum laus semper fuit (quasi non sibi, sed alijs scriptos) prætermittendos putant. Nos autem quoniam & in iudicio, & in inuentione summa vtilitas est, vtranque partem magna animi contentione complectendam esse censemus.

Istorum autem hominum ignorantia facilius tolerari posset, nisi in aliam multò maiorem, & perniciosiorem propè omnes inciderent, & se se libenter errare paterentur. Nam cum duas partes philosophiæ esse dixerimus, illisque vt partem, aut ut instrumentū dialecticam addiderimus, differendi rationi, id est, philosophiæ instrumento in vniuersitate Salmanticensi duos annos tribuunt, & dant, vnum tantum philosophiæ. In Cōplutenfi tamē melius



perspicitur, & consideratur, cū duos annos vniciue tribuant.

Itaque primum annum, qui totus Aristotelis futurus erat, Sophisticis nugis, & inanibus, atque spinosis disputatiunculis conterunt, quæ honestorum iuuenum ingenia non tam exercent, quam cruciant, fallacique sapientiæ imagine deludunt, & stultis opinionibus, & erroribus imbuunt. Ac primum quidem bona, & consentanea ratione fieri cæpit, vt rudis & inexercitata iuuentus ad illam Aristotelis obscuritatē, atq; breuitatem nō nisi paulò prouectior, & exercitatio accederet, ne contortis, & aculeatis conclusiunculis à philosophando deterrentur, eiusque de dialectica libri in formam compendij commodiorē, & apertiorē redacti sunt à Petro Hispano, homine neque ignauo, neque indocto, vt in ijs tyrocinium ponerent studiosi adolescentes, & hinc statim ad Aristotelē aduolarent. Sed cū illerudium doctor, & formator ingeniorum, brevis vt fuit, & perspicuus esse voluisset, ad eum non explicandum, sed obscurandum, & deprauandum

dum noui interpretes accesserunt, neque rerum dialecticarum, & phisicarum cognitione instructi, neque eloquētia, neque splendore verborum, neque verò docendi ratione, & perspicuitate satis adiuti.

Ac mihi quidem cū ea memoria repeto, valde mirabile videtur, quā in inmensum abijerit indoctorum hominū, & bonorum artium contaminatorum licentia, nullus vt sibi, aut alijs satis placeret, qui non ea de re longissima volumina edidisset. Ac Aristotelem, hoc est dialecticæ principem, & parentem contemnentes, nouas res, & inauditas comminiscebantur, portētaque non tam risu quam misericordia digna confingebant, atque ille doctior, & ingeniosior habebatur, qui plura, & maiora proferebat. Quæ Barbara & inornata oratione excutientes, atque dilatātes, alijs atque alienis omnino miscentes, ac remiscētes, tū innumeris obscuritatibus, & cæcis leuissimarum argumentationum, stultissimorumque Sophismatum nodis implicantes, artem pulcherrimam, & utilissimam, ridiculam cumprimis, & inui-

diosam reddiderunt, testes vt sumus multis ex annis, quos in academia Complutensi atque Salmanticensi literis operam dedidimus: quæ res fuit in causa, vt illam quasi prodigiosam, & nocentem belluam, non solum iuuenes vitauerint, sed academiarum principes suis scholis longè exterminauerint. Videbant enim (id quod erat) veteres illos sophistas, quorum importunitate Aristoteles vexabatur, & quos Plato in Sophista, & Protagora alijsque locis, suis quasi coloribus depinxerat, non æquare, sed vehementer superari ab istis nouis dialecticæ magistris. At fuit hæc ars, quasi extra ripas diffluens, coercenda, & reuocanda, & vt luxurians, ac frondibus abundans arbor, amputanda, non extirpanda, circuncidenda, non eruenda.

Quare ita censeo, atque ita omnino in rectè institutis academijs faciendum iudico, vt præceptores non omnia, sed quæ maximè conferre videbuntur, diligenter eligant, & interpretentur, & adolescentes tres aut summū quattuor menses in hoc introductionis genere versentur, hinc Arist-

telis dialecticis integrū annum studeant, reliquum vero tempus vtrique cedat philosophiæ. Quod si fiat, & iudicij viam percalluerint, in inuentione veteri Peripateticorum more exerceantur, prodibunt turmatim præclari, & valentes dialectici qui (quod Aristoteles proprium huius artis esse dixit) perspiciunt in omnibus disciplinis veritatem, earumque principia, quæ ipsi nō probant, sed vt vera, & probata accipiunt, cōfirmare possint, & de re quacunq; probabiliter & verissimiliter disputent.

## CAPVT. IIII.

*De philosophia naturali, morali, atq;  
metaphisica, deq; ratione studiij  
philosophici.*



LLA Autem philosophiæ pars quæ quòniā in naturæ indagatione posita est, phisice vocatur, multū habet & splendoris, & vtilitatis. Quid enim præclarius, quā rerum diuersissimarum cognoscere naturas, elementorum vires? & mutuam vel differentiam,

Philosophia  
naturalis.

vel necessitudinem perspicere? herbarū,  
& lapidum, & metallorum virtutem, ho-  
minum, & ceterorum animantium inge-  
nium intelligere? cœlorum numerum,  
cursum, vim, ac vicissitudines videre? aeris  
qualitates, ventorum, pluviæ, grandinis,  
niuis, tonitruum, fulminum, & aliorum,  
quæ in sublimi fiunt, causas non ignora-  
tas, neque incognitas habere? Equidem ad  
sacrarum literarum intelligentiam pluri-  
mum prodesse intelligo, herbarum, ac la-  
pidum vires. Tū multorū animantium  
naturas perspectas, & cognitas habere, &  
ad publicas conciones multum valet. Et  
ad similitudines adferendas, & ad vulgi ani-  
mos, vel ad timorem, vel ad spem, vel ad  
gaudium, vel ad mærorem concitandos.  
Ac si alia quidem argumenta non suppe-  
terent ad asserendum eius vtilitatem, &  
dignitatem, illud mihi esset maximæ effi-  
cacitatis, quod ab omnibus hæreticis abij-  
citur, atque ridetur. Cū enim Ecclesiæ  
hostes Christianis eam addiscendam esse  
negant, inanemque prædicant, facile de-  
clarant, concionatoribus Christianis, id  
est



est fidei custodibus, & magistris esse pernecessariam.

Sed illud est in nostris physicis magnòpere reprehendendum, quòd rei tantæ & tam optabilis primarantum elementa tenere volunt, cætera & iucundiora, & utiliora non magnifaciunt. Nam libris de naturali auscultatione, de cœlo, de generatione, de anima que contenti, satis se esse physicis eruditos putant, problemata, meteorologia, & egregios illos, ac multiplices de animantibus libros plerique contemnunt. Verùm enim in omni philosophia naturali, sed in hac potissimum parte, permulta sunt, per quæ (vt Pauli verbis utar) *Inuisibilia Dei intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas.* Est enim vniuersa rerum creatarum veritas, & multitudo nihil aliud (vt præclare est apud Basilium) quàm magna quædã, & multiplex hominis academia, in qua summum suum parentem, ac conditorẽ Deum, seque ipsum cognoscere doceatur, quod philosophiæ videtur esse. Atque hinc viri docti, & graues extiterunt, qui ho-

Ad Rom. i.

Basil hom. i  
in Hexa.

minis, ac reliquarū rerum naturis diligenter perspectis, nihil sit tam arduum, tamq̃; difficile, aut cognitu, aut explicatu dignissimū, quod ipsi magnis argumentis & ex rerum natura (vt dico) petitis non ostendant consentaneum esse rationi, nec solum esse verum, sed etiam propè necessarium.

Extant hac de re quattuor ab Aquinate Thoma libri aduersus ethnicos diuinitus conscripti: & libellus quidā Raimundi Sabundij, paucis quidē ille notus, & à nullo (quod sciā) scriptore nominatus, sed omnium mea sentētia, qui scribi possunt pulcherrimus, & eruditissimus, qui liber creaturarū, siue theologia naturalis vocatur, paucis (vt dicebā) cognitus, sed dignus certè cū primis qui omnium manibus circūferatur.

Alter etiam fertur Raimundus cognomento Lallius, (qui non ab hominibus, sed ab ipso Deo doctrinam acceperit) hoc disputandi genere vsque ad omnium suæ ætatis hominum admirationem floruisse, cuius ego scripta nonnulla vidi, sed nouis quibusdam vocabulis à se tūm excogitatis, & ipsa dictione, ac breuitate ita impli-

plicata, & impedita, vt de ijs sententiam ferre non possim.

His autem naturalibus rationibus con-  
cionatores multum ad suum munus adiu-  
bantur. Sæpe enim accidit nobis cum eth-  
nicis disputatio, qui neque sacrarum lite-  
rarum, nec sanctorum patrum auctorita-  
te commouentur: neq; id quidē reluctan-  
di, aut contradicendi studio, sed quia res tā-  
tas, & tā difficiles capere nō possunt. Qui-  
bus, si certas, & solidas rationes protuleris  
ex ijs, quæ & in se ipsi, & in natura rerū in-  
tuētur, facilē quidquid volueris probabis,  
illosq; eo deduces, vt cū Dei optimi maxi-  
mi maiestātē, bonitatē, prouidentia, sapiē-  
tiaq; cognouerint, protinus animos indu-  
cāt, vt quæcunq; ab eo mortalibus tradita  
sunt, nō solū accipiāt, sed vt augusta quædā  
oracula venerentur. In Hæreticos etiam  
magnam, & ineluctabilem vim habent,  
cū his argumentis persuaderi posse de-  
mostramus, quod ipsi nō naturę modo, sed  
etiā fidei lumine prius illustrati nō vidēt, &  
cū firma, & aperta scripturę loca sepē impu-  
dētibus, & distortis expositionibus ludant,

has, neque in alienum, & quasi coactum sensum trahere, neque vitare possunt.

Greg hom.  
26 in Euāg.

Nam illud Gregorij tritum iam omniū sermone prouerbum, *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*, Ad illos pertinet, qui non spontè, sed argumentis, & signis coacti, & quodam modo inuiti credunt, ita vt si ea aliquādo parū firma esse intellexerint, conceptā iam animo fidem, persuasionemque deponant.

Philosophia  
Moralis.

Quòd si ea philosophiæ pars quæ de natura est, & quæ à concionatore nostro tantò pere disiuncta videbatur, tantum fructus, atque emolumenti adfert, vt sine magna susceptorum studiorum iactura præteriri non possit: quis non videat illam, quæ in moribus hominum componendis, formandisque versatur, (quæ nō tam philosophiæ, quam theologiæ pars haberi, & numerari potest) immensa quadam, & incredibili cupiditate concionatori esse consecretandam?

Hæc Socrati (qui Apollinis oraculo sapientissimus mortalium iudicatus esse fertur)

tur) tantum dignitatis, & vtilitatis habere  
visa est, vt studijs alijs neglectis, ad eā ope-  
ram, & ingenium conuerterit suum: mag-  
no scilicet nostrorum hominum dedeco-  
re, & opprobrio, qui naturę rationem dili-  
genter inquirunt, morum verò disciplinā  
multò præstantiorem, & optabiliorem,  
aspernantur. Etenim qui elementorum  
causas, & effecta contemplantur, & pis-  
cium, & auium, & aliorum animalium na-  
turas inuestigant, neque eam artem maxi-  
mè amplectuntur, à quo constanter, ho-  
nesteque viuendi præcepta ducuntur, alie-  
nam mihi causam agere videntur, ac ne-  
gligere suam.

Hanc medici quod ad tuendam corpo-  
ris valetudinem non esse acomodatam  
vident, omnino despiciunt, concionato-  
res verò quoniam multa ad eam perti-  
nentia ex Aristotele in secundam sum-  
mę theologiæ partem Thomas transcrip-  
serit. Quasi vero omnia illuc attulerit, aut  
ea ipsa quæ attulit sine huius partis præsi-  
dio rectè intelligi, explanarique possint.  
Nec vident eam non tantum docere quo-  
modo



modo quisque bene, beateque uiuat, sed etiam domos & ciuitates instituere, & rerum publicarum formas, rationesque describere, quæ non omnia traduntur à Thoma, tametsi cum tota frugifera, & fructuosa sit, nullus in ea feracior locus est, nec vberior, quam ille qui medetur animis, sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores.

Marc. Tull.  
in exclamat.  
de Philosophia.

Itaque præclaram illam, & ingenuam Marci Tullij exclamationem nō inuitus audio, *O vita, philosophia, dux, ò virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum, quid nō modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti, tu eos inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tūm literarum, & vocum communione iunxisti, tu inuentrix legum, tu magistra morum, & disciplina fuisti. Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti.*

Cū ergo theologiæ hæc omnia, quæ diximus, adhereant, magnaue eius pars in virtutum, & vitiorum ratione versetur

(quæ

(quæ à concionatoribus Christianis tractata rectè percipi non possunt, nisi in Aristotelis fonte, vnde fuere deriuata videantur) qui philosophiam moralem ignorat, multum se quoq; theologiæ ignorare profiteatur. Inconcionibus enim multa de charitate patriæ, de morte pro reipublicæ, & amicorum salute oppetenda, de magnitudine animi, de liberalitate, de virtutibus omnibus, vitijsq; dicuntur, quæ quamuis ex sacris libris proferantur, tamen sine ea, quam dixi, scientia, non possunt grauiter, amplè, & copiosè explicari.

Sed & voluptas, & dolor, & cæteri animi motus, in quibus inflàmmandis, aut etiã restinguendis tota penè concionantis laborat oratio, huius etiam doctrinæ præceptis, & monitis sedantur, vel si opus est, tolluntur, & incitantur. Si verò quisquam è medio studiorum otio ad munus prædicationis, & administrationem Ecclesiæ rapiatur, quàm præclarum erit, tunc illa quæ à philosophis traduntur de regèda domo, de gubernanda reipublica, deque ferendarum legum ratione didicisse.

Etc-

Etenim quòmodo in sceleratos homines animaduerti deceat, quæ sint iustis, & innocentibus præmia conferenda, quibus sint mandandi magistratus, quas leges rogari, quas abrogari oporteat, quæ sit optimæ reipublicæ forma, & status, qua ratione boni, & honesti ciues ab inhonestis, & malis dignoscantur, in libris Aristotelis & Platonis de republica diligentissime exponitur. Nam domus curam, & administrationem, quæ ab Aristotele in œconomicis tradita est, & munus Episcopi fore videbatur, eique cum reliquis hominibus communis, tanti momenti Paulus esse putat, ut qui in illa rudis, & ferus fuerit, sacerdotio, & prædicationis munere indignum putet, *Si quis, inquit, domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit?* Perquirenda est igitur magna cura, magnoque animi conatu hæc optima, & utilissima philosophiæ pars, & habendi cunctis eius noti, & tractati loci, imitandum quod est maiorum nostrorum Ambrosij, Augustini, Gregorij, & aliorum studium, qui de illa multa, & præclara scripserunt. Nam

Tho.

1. Ad Timo.  
3.

Thomas adeò in hac excelluit, adeoque multis de ea scriptis Christianis hominibus profuit, vt omnia summa videatur affecutus.

Sed inter artes hominum ingenio industriaque partas, vna olim, eaque omnium excellentissima, & maxima, liberoque homine dignissima iudicabatur, quæ prima philosophia, & theologia vocata est: de qua: Aristoteles (vt in cæteris fecit disciplinis) plenos eruditionis scripsit libros: quos ego concionatori Christiano accuratè legendos, & flagrantissimo studio cōplectendos cenfeo.

Metaphysica.

Est enim hæc scientia perfecta quædã, & ad summum perducta philosophia, in qua totas suas vires natura intendit, & quæ solâ ex his quas hactenus diximus appellari potest sapientia, tantò cæteris contemplatricibus artibus præstantior, quàm illæ superant eas quæ in exterarum rerum effectione versantur. Nam solâ primas omnium causas, primaque principia inquirit: vnde fit vt quæ in singulis disciplinis, quasi firma, & solida fundamenta iaciuntur, hæc

vna statuatur, atq; confirmet, non virisimilibus, & probabilibus, vt dialectica, sed certis, & indubitatis argumentis. Quamòbrè sapiens (ita enim huius scientiæ antistitem appellat Aristoteles) tametsi singula distincta quadam, & peculiari cognitione non comprehendat, omnia maximè scit, & quæ sunt cognitu dignissima, hoc est principia rerum, diuinamq; naturam perspicit, estque omnium ad docendum accommodatissimus.

x. Metaph. c.  
2.

Cùm igitur multùm concionatoris intersit philosophus vt sit, præclarum sanè videri debet absolutam illam, & consummatam, eandemque primam philosophiã tenere, ac illud perobtabile, perq; iucundum, quid philosophi de Deo, eiusq; natura senserint, & quantæ tunc humanæ rationis vires extiterint, videre.

Et quòniã prima ista philosophia res ipsas (vt res sunt) nudasq; earum naturas separatas, ac per se ipsas coherentes, intuetur, rationes nobis, et argumenta non vulgaria subministrat ad ardua, et occulta probanda, adcoq; ad theologiam viam mun-

nit,



nit, vt difficilimū sit sine ea intelligere, & (vt oportet) penetrare, quæ de Dei simplicitate, perfectione, bonitate, infinitate, immutabilitate, vnitate, æternitate, de veri falsique ratione, de diuinis relationibus, & origine personarum, de bono, de malo, de Angelorum natura, & intelligentia, doctores theologi nobis tradiderunt.

Sed omnibus disciplinis, quarum hæcenus meminimus, Aristotelem præceptorem, & ducem noster concionator sequatur: eius libros legendo conterat, & quam maxima poterit cura, diligentiaq; perdiscat. Ne Platonis quidem cum esse ignarū volo, duorum principum philosophorum lectionem coniungat, eosque inter se conferat, & ab altero breuitatem & subtilitatē, ab altero grauitatē, & vbertatē mutuetur. Nam multa de natura præclare scripsit Plato, plura de moribus, de perfecta q; re publica, quidquid aut dicendi, aut differendi facultas elegans habet, & venustum, ac etiā quedā omniū artiū seminaria in Platone reperire licet, vt M. Fabio Quintiliano,

Ratio studij  
philosophici.

non hominis ingenio, sed Delphico quodam oraculo videatur instructus.

Aug. lib. de  
ciuit. dei 8. c.  
5. & 12.

In rerum autem diuinarum cognitione, non prioribus modo philosophis, sed ipsi etiam Aristoteli longè antecessit, quas ille ab Ægyptijs sacerdotibus didicisse fertur. Itaq; Augustinus in hoc genere ubiq; Platonem Aristoteli anteponit, nec vllus auctor ab eo tantò pere laudatur, adeò vt in libris de ciuitate Dei cum philosophis de diuinis disceptationem instituens, Platonicos à se eligi dicit, tanquam illustriores, & doctiores. Nec vllum fermè ex maioribus inuenietis, philosophiæ gloria qui præstiterit, quem non mirificè delectauerit, & tenuerit Plato, videbant enim per multa esse in eo cum fide Christiana penitus consentientia, vt Augustini iudicio, veteris quòque testamenti libros legisse videatur.

Aug. li. 8. de  
ciuit. c. 11.

Sed quòd iam multos Aristotelis terrèt obscuritas, vtitur enim conciso quodam, & subtili genere dicendi, consultoque obscurus esse, viderique voluit, interpretibus indiget, qui cum varijs sint, ego quidè certè

tè cum Alexandro, Philopono, Simplicio, Ammonio, Themistio, cæterisque id genus, nullos conferendos puto. Græcos igitur sequatur, præsertim eorum principē & quasi parentem Alexandrum, qui summam in Aristotelis laudem cōsecuti sunt: Nam ex latinis præter vnum Thomam neminem habeo quem magnopere laudare, aut proferre possim. Auerroem Cordubensem nostræ nationis hominem, ingenio, & eruditione plurimum pollere fateor, sed quia Græcum Aristotelem non vidit, & vitiosum ac ignorantē interpretem, quasi cæcum ducem, secutus est, necesse fuit non solum vt offenderet, sed etiam vt sæpè laberetur.

Ac iuniorum quidem habemus doctos, & acutos libros, sed illi in suis cōtrouersijs, & quæstionibus, quæ tamen ad veritatem omnino intelligendam multum conducunt, magis quam in Aristotele præstiterunt.

In morum verò ratione, atque doctrina libros ad Nicomachum filium ab Aristotele scriptos cum magnis Moralibus, &

cum libris ad Eudemum conferat, atque hos omnes non solum cum Platone, vt dixi, ac eius discipulis Iamblico, & Plotino; sed etiam cum Xenophonte, Maximo Tyrio, cum Hierocle, cum Plutarcho, cum Seneca, Ciceroneq; coniungat.

## CAPVT. V.

*De theologia eiusq; partitione & origine, & in primis de illa parte quam scholasticam vocamus, & de tribus generibus hominum qui eam odio maximo prosequuntur.*



ATIS iam mihi videor de humanis disciplinis, id est, de externis concionatoris ornamentis, deq; studendi ratione dixisse. Quare ad gloriosam, & præpotentem theologiam transeamus, cuius gratia hæc ipsa discenda sunt. In quâ semper oculos atque animum conijciat, cæteras ancillas putet, in quibus ita se geret, vt eas sibi non per se contemplandas, aut expetendas fuisse intelligat, sed quia

theologiæ magno sunt adiumento, huius  
tantum specie, & pulchritudine capiatur.

Hanc ipsam (inquam) theologiam in  
duas partes distribuendam esse dicimus:  
quarum vna in sacre scripturę intelligen-  
tia posita est, altera in acuta, atque subli-  
mi diuinarum rerum disputatione, quæ  
scholastica vulgo nominatur, quæ magis  
in controuersia posita est, quæ nihil est  
aliud quàm vberior quædã, & accuratior  
prioris explicatio. Cum enim nobis Deus  
optimus maximus sacrorum librorum  
thesauros immensa quadam, & infinita  
liberalitate, misericordiaque donasset,  
vndè fidei mysteria, (*Sine qua Deo place-  
re nemo potest,*) disceremus, & admirabi-  
lem illam beatitudinẽ cuius nos participes  
esse voluit, quātũ licebat cognosceremus,  
& omnia rectè viuendi præcepta caperemus,  
cũ vt nos ipsos exerceat, & humanæ sa-  
pientiæ superbiã, fastũq; coerceret, tũ etiã  
ne absceleratis, et improbishominibus qui  
bus tãta mysteria vulgãda nō erāt cõtēne-  
rẽtur, partim metaphoris, & allegorijs qua-  
si inuolueris, & integumẽtis, partim rerũ

Theologiæ  
partitio, &  
origo.

De Theolo-  
gia scolasti-  
ca.

Ad Hebræ-  
ii.



altissimarum difficultate, contegendos, atque occultandos putauit.

Quod cum viderent viri sanctitate, atque doctrina florentissimi, & ad homines iubandos erudiendosque nati, animum ad scribendum appullerunt, & sacras literas, ut ab Apostolis, eorumque auditoribus acceperant, Deo illos tacite illuminante, & docente, exponere cæperunt. Videbant enim impios, & flagitiosos homines, qui cum idem munus suspicere viderentur, illas ipsas literas aliena interpretatione deprauabant, eisque ad sceleratam quandam, & fucatam libertatem adferendam, atque ad immanes, & sacrilegos errores corroborandos impudenter abutebantur: quos non ferendos rati, earundem auctoritate refellebant, & in sacræ scripturæ explicatione, & editis priuatim aduersus eos libris.

Sed quoniam in diuinis voluminibus non solum fidei veritates, sed etiam honeste viuendi præcepta, ut diximus, latent, nec est vlla hominum conditio, aut vitæ pars quæ his iuuari non possit, & doceri, ex his, tanquam ex perenni fonte solidam  
& sa-

& sanam doctrinam in societatem hominum, conuictumque deriuantes, multa de fide, deque rectè viuendiratione, liberiori, & vberiori dicendi genere memoria prodiderunt. Quibus in rebus cùm egregij, & clari fuerint omnes maiores nostri, & aperto diuini numinis afflactu, ad scribendum incitati, alij in alijs præstiterunt, Augustini subtilitatem, grauitatem, & copiam in disputando superauit certè nemò, atq; haud scio an aliquis æquarit.

Itaq; patres nostri mirabili sua prudentia, & sapientia magnum ingenij, & eruditionis lumen prætulerunt. Sed vt hominū industria paulatim augetur, alij pòstea publicæ quoque vtilitatis studio flagrantes scripserunt, & quæ rectissimis studijs, atque artibus præditi multis in libris, disputationibusq; varijs disperferant, quæq; vel in eodem auctore, vel in diuersis parū sibi consentire videbantur, è re omnium fore putauerunt, vt in angustius spatium cogerentur, & adhibito extrinsecus lumine illustrarētur, vt eandem omnium sentētiā in fide, & moribus fuisse constaret.

Ad quod scribendi genus Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis vir insignis pietatis, atq; doctrinæ ceteros adhortatus videri potest quatuor sententiarum patrū libros proferens, materiamq; in medium proponens perpulchrā illam quidem, sed magis diuitem, & amplam, quam elaboratam, & perpolitam.

Cuius institutum ita posteri probauerunt, vt innumerabiles ferme commentarios in id operis scripserint, sed addiderunt ipsi nouum quoddam differendi acumen: cuius ne Lombardus quidem omnino expertus fuit. Nam de re quauis argumenta vtrinque proferre caperunt, quibus difficultas appareret, ac pōstea probabiliorem partem accerrimē confirmare, alteram strenuē enervare adhibitis ad id, quæ ex humanis disciplinis peti oportebat, quæ ratio fuit ad inuestigandam veritatem maximē accommodata.

Vtraque igitur theologiæ pars ab vno principio, & quasi fonte, se scindit, parem habent dignitatem, adeoque diuersæ non sunt, vt altera sine altera constare non possit.

fit. Quod si vidissent leues, & indocti homi-  
nes, qui in hanc partem quam scholasticā  
dicere solemus, impudentius inuehantur,  
resipiscerent fortassis aliquādo, desine-  
rentque petulantia uti sua.

Quod do cuit alio in loco apertius, ille  
non intelligendi solum, sed etiam facien-  
di grauilissimus auctor, & magister Paulus,  
cuius verba digna quidem memoria sunt,  
& ad rem quam agimus accommodatissi-  
ma, *Omnis, inquit, scriptura diuinitus inspi-  
rata utilis est ad docendum, ad arguen-  
dū, ad corripiendum, ad erudiendū in iusti-  
tia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus  
bonū instructus.* De scriptura cum loqui-  
tur, quæ concionatoris instrumentum est  
de concionatore ipsi loqui putatē, quæ ad-  
modum si dicere mus esse ferræ ligna scin-  
dere, aut calami præparati scribere, nemo  
esset qui id ad artificē ferræ, calamo ve utē-  
tē, non referret: verbū enim docendi latē  
cū pateat, ad has duas theologiæ partes ac-  
comodamus, quod fit ut cū Paulus primum  
concionatoris munus in docendo positu  
esse velit, is concionator postuletur, qui

2. Timot. 3.

Conciona-  
toris veri of-  
fic.

& difficiles illas ambiguaſq; quaſtiones explicare poſſit, & exactè diuinarum literarum arcana reſerare. Populari oratione vti oportet, & errātes, ac extra ſeipſos diſfluentes ſeueritate verborum coercere, coſdemq; ſalutare quadam eloquentia ad pietatem colendam accendere, & in Dei atq; hominum amorē vehementer incitare, hæreticos & dictis, & libris editis profligare, publicisq; concionibus populi mores componere, vitia extinguere, ac omnes ad veram virtutem inflammare.

Tria genera hominū qui theologiam ſcolasticam proſequuntur odio maximo.

Tria enim ſunt genera hominum, qui hanc theologiam odio maximo proſequuntur, & in eam ſemper maledicta congerunt & loquendo & ſcribendo, digni proſectò in quos publicè animaduertetur, qui aut inuidia, aut ignoratione cæcitem maximam, & maximè neceſſariam è medio tollere conentur. Nam ad vnum omnes noſtrę ætatis hæretici, quiq; ante noſtram memoriam fuerunt, diſſidentes cæterò qui, & varij, in hoc quaſi agmine facto conſpirauerunt, quorum errorem & inſcitiam Grammatici penè omnes ſequun-



quuntur, atq; illi etiam qui scholastica palestra minimè exercitati, Græcis, & Hebraicis literis dumtaxat eruditi, perdocti tamen, atq; præstantes in sacra scriptura videri volunt.

Sed ego Hæreticos hoc morbo labore nunquam miratus sum, genus hominum popularis existimationis, & gloriæ vnde cunq; partæ audissimum, veritatis ignarum, religionis inimicum, quorum artes, & dolosæ, deprauatæque opiniones, scholasticis disputationibus reteguntur, refelluntur, & euanescent fidei verò catholicæ dogmata defenduntur, nutriuntur, atque firmanentur. Itaq; vt lupi nihil magis quam canes oderunt, eosq; vehementer de rebus sublatos cuperent, ita isti dialecticam, & philosophiam, atq; omnium maxime theologiam conuitijs insectantur, eiusq; auctoritatem, & dignitatem minuunt, qua vehementer offenduntur, deque omni gradu deiiciunt.

Grammaticis vero inueteratum, & insitum quasi à natura odium vnde ita animo insederit equidem ignoro, nisi quòd  
eis

eis ingratum esse arbitror ieiunam, & inornatam orationem, atque illis Marci Tulij floribus carentem, ac cum omnia se intelligere posse profiteantur, hinc rerum obscuritate retardantur, & omnem curam, atque industriam in sacris literis, quas cum arte sua coniunctiones putant, ponendam esse censent.

Nam illi quos in tertio genere inclusimus, quique ab hac facultate alieni cum sint, multum se progressos in diuinis libris putant, Hieronymumque sibi videntur imitari, facile quisque intelligit quare ita sentiant, non enim laudare possunt quod nunquam didicerunt, ne si laudarent, aut theologorum nomen amitterent, quod id se ignorare faterentur quod necessarium iudicarent, aut illum ipsum, quem principio fugerant, laborem tandem suscipere cogerentur, quorum vtrunque & dedecoris, & difficultatis plenum videbatur.

Vt igitur theologi qui linguarum cognitionem abiecerunt, eas vilius emolumenti, atque fructus esse negant, ne ipsi

igna-

ignavi, aut indocti videantur, ita istos necesse est rem magnam quidem illam, & illustrem, ceu quam ipsi penitus ignorant, semper eleuare.

In quibus ego Erasmus iudico: qui se scholasticæ theologiæ non inimicum modò, sed in sciunt etiam, & imperitum fuisse (siue iudicio, vt ipse vult, & magna quadam, ac nobili ingenij maiora appetentis elatione, siue alia quacunque de causa) semper in scriptis suis præf tulit. Qui istos doctores scholasticos vbi que ridet, atque contemnit, negatque eos quidquam certi, atq; explorati habituros, qui nihil aliud quàm dubitare didicerint, tractare multa, quæ doctius nesciuntur, quàm sciuntur.

Adducunt pro sua sententia Ioannem Chrysostomum virum doctissimum, & quo maiorem Gracia non tulit, qui in prioris epistolæ ad Timotheum commentarijs quæstiones (quibus maximè theologi iuniores vtuntur) vehementer reprehendit, inanes, atque vitandas esse dicit, vt neq; Erasmus quidem acrius in eas dice-

Ioan Chrys.  
hom. 1. in  
comment.  
epist primæ  
ad Timo-  
theum.

1. Timot. c.

2.

Et ad Titum

3.

dicere potuerit, & illud Pauli ad Timotheum dictum, *Stultas autem, & sine disciplina quaestiones deuota, sciens quia generant lites.*

Sed tamen Chrysostomus, scit scio, nunquam oberit causae nostrae, neque verò quisquam qui ei doctrina, & pietate similis esse studeat. Sed Pauli interpretes cum sit, eas quaestiones ipse exagitat, quae reprehendi à Paulo videt, nimirum ineptas, atque stultas, & nihil solidae eruditionis continentes, non illas quae in fidem, in religionem, in mores attinent, quaeque non studio contentionis, sed veritatis indagantur.

Ad Titum 3.

Et quidem Apostolus his verbis inuehitur in Iudaeos, qui legem se callere gloriantes, ad illius interpretationem fabulas congebant. Et (vt Hieronymus ait) in nulla re magis elaborabant, quam in barbaris illis suae linguae nominibus ediscendis, ac recte proferendis, tum in serie patrum memoriter tenenda, vt ab Adamo ad Zorobabelem, vsque nullum ex maioribus suis ignorarent, atque alia eiusmodi multa, & difficilia, & inutilia summa cura perquirebant,

bant, de quibus Apostolus noster ait, *Stultas autē quæstiones, & genealogias, & contētionēs, & pugnas legis deuota, sunt enim inutiles & vana.* Ambrosius quoque (dubium pietate, an doctrina præstantior) *Stultas* (inquit) *quæstiones* appellat, quæ salutis effectum non habent, neque aliquā tribuunt scientiæ peritiā ad utilitatem. His verbis multorum hæreticorum denotat dogmata. Hæc Ambrosius. Neq; Chrysostomus, aut Græci dissentiunt.

Illud ego saltē concedam, vitiosum esse omne quod nimium est, & in hoc vitio nonnullos theologos incidisse, qui patrum nostrorum temporibus scriptitarūt, & à veteribus discedentes (quos quidem, non admodum legebant) Sophistica quædam, & prodigiosa cōmenti sunt, vt prius in dialectica fecerant, nimium sibi constantes, & placentes. Has ego quæstiones stultas, & sinē disciplina dicere non verebor, stulta enim, & cognitione non satis digna quærebant, has inutiles & vanas voco. Sed nos de theologia Scholastica, nō de paucorum hominū ineptijs loquebamur.



Ac in istud docendi genus, controuersiasque ponendi maiores nostri modicè respexerunt, donec Augustinus (doctorū princeps, & parēs, ingenij subtilitate præstans, & dialecticis ab ineuntia ætate imbutus) vidit nullam esse commodiorem rationem inuestigande veritatis, & quod fecisse veteres philosophos videbat, ipse quoque putauit in rerum difficilium tractatione faciendum. Cæpit igitur accuratiùs quàm reliqui fecerant, argumētorum quasi acies hinc inde instruere, & singulorū vires more dialecticorū explorare, quid cuique esset cōsequēs videre, quid repugnās, & rationis suæ acumen in omnia versare.

Cuius auctoritatem, & institutionem multi postea secuti rem ad summum perduxerunt. Nam ea, quæ ab antiquis acceperant dispersa, & dissipata in suos locos artificiosè digesserunt, generatim composuerunt, ac in artem redegerunt, & multa labore, atq; cogitatione sua deinde inuenientes, ambigua explicantes, dissidentia conciliantes, certam nobis, & compēdiariam viam ad inueniendam reconditam

fac latentem veritatem, munerunt. Hanc differendi rationem, & res obscurissimas explicandi Aristoteles philosophorū Homerus, atq; in hac parte consensu sæculorum omnium mirificè laudatus, semper obseruauit, ab hac eius præceptorem, & magistrum Platonem, & quicunq; magnum in eruditis nomen habuerunt, nunquā abhorruisse constat. Tamen si quidam oratorio modo, & vberiore, ac securiore fecerunt oratione, alij (& quidem diligentiores) constricta, & aculeata, magisq; ad pugnam accommodata dictione, vt causas & fundamēta veritatis intelligamus & quid pro illa, quid cōtra illā afferri possit nō ignoremus, armaq; habeamus, quibus & eā tueri, & inimicis occurrere possimus.

Quemadmodū enim miles aut armis spoliatus, aut bellicæ artis ignarus fortis sibi videri solet, & ad pugnam aptus, sed cū res postulat, & hostem in se inuadentem videt, locum turbatus, atque inops consilij deserit, ita qui simplicem veritatem, sine sudore (vt dici solet) & sanguine tenet, tunc cū bella manus poscunt,

& in controuersiam adducitur, & argumē-  
tis (quasi arietibus) pulsatur, facile animū  
despondet, ac in deditionem venit.

II. Metaphi.  
cap. I.

Merito igitur Aristoteles tertium no-  
bis de prima philosophia librum his fer-  
mē verbis exorditur. *Est autem opera pre-  
tium ijs qui veritatem assequi cupiunt, be-  
nè dubitare, nam ea, quæ post cognoscitur,  
veritas, est quadam priorum dubitationū  
dissolutio, & dissolvere nemo potest, qui vin-  
culum ignoret. Sed mentis dubitatio id ip-  
sum de re declarat, cum enim dubitat si-  
mile quiddam cum vinctis patitur, nam  
neque illi, neque ipsa quoquam progredi  
potest. Quæ propter difficultates omnes an-  
tea speculari oportet, & horum gratia, &  
quia homines qui quarunt, si primò non  
dubitauerint, per similes hisce sunt qui igno-  
rant, quòrsum pergere oportet, & ad hæc  
neque utrum id quod querebatur inuene-  
rint, an non inuenerint, intelligent, non  
enim habent cognitum, perspectumque fi-  
nem, quem admodum illi, qui rectè, prou-  
denterque dubitarunt.* Accedit etiam  
quod ille melius, & incorruptius iudica-  
bit,

bit, qui duarum partium rationes quasi aduersariorum, & in iudicio de re aliqua contendendum audiuit.

Ex his philosophi verbis satis (vt opinor) intelligere potest Erasmus, & qui in eodem errore sunt, viros doctos, & peracutos, non sine magno consilio his quaestionibus, & controuersijs vti, non quòd omnia ambigua, & incerta esse putent, aut veteres Academicos imitari velint, sed quòd aliter id quod volunt rectè consequi non possunt, vt rei positæ causas primas, principiaq; prima (vt Aristoteles ait) & vfi-  
1. Phisica.  
 que ad elementa cognoscant. Quamobrem magni, & præstantes theologi, quorum doctrinam & pietatem omnes admirantur, multa in controuersiam adferunt, quæ penitus aperta, & indubitata sūt, vt, sit ne Deus? sit ne corporatus? an expers corporis? nū ille orbē condiderit? nū bonus? perfectus? omnipotens sit? & alia eiusmodi multa, quæ si dubia esse crederēt, meritò audirent illud quod dicit Chrysostomus, *Quaestio fidē tollit, qui enim querit, nōdum inuenit, qui querit difficile est credere,*

Chrysostom.  
 1. in 1. ad Timotheum.

Sed mihi credite isti dubitatores multa & præclara cognouerunt, quæ Erasmus nihil dubitans asse. qui non potuit, multa sua impolita oratione cōscripserunt, quibus eloquentis Erasmi errores & dicta nō admodum cum Ecclesię institutione coherentia, refutantur.

Illud autem quàm leue, & quàm periculose est in rebus theologicis, quæ difficilime explicantur, ita requirere orationis ornamenta, & venustatem, vt ea si minime inuenerint, libros omni eruditione refertissimos relinquunt. Hos ego similes illis iudico, qui egregia, & liberali formam virginem quam se vehementer amare dicūt, contemnendam putant, quod vestibis parum pretiosis, & elegantibus vtatur: ac pauperibus hominibus, qui thesauros in puluere, aut in luto inuentos negligunt. Puerorum est sanè, non virorum rem ipsam, præsertim vtilem, & salutarem omittere, externum tantum splendorem, & illam inanem speciem aucupari. Equidem cum res in theologia spectentur, non verba pendantur, ego à theologo (vt à philo-



sopho Cicero) si adferat eloquentiam nō aspernor, si non habeat, nō admodum desidero, si res, & verba inuenire possum, libentiū vtrunque accipiam: si alterutro carendum est, res ego dū teneam, verba dimittam. Quod si eos tantū sequi oportet, in quibus esset cum sapientia dicendi facultas, & gratia coniuncta, quid sine Bartolo, ac Baldo facerent iuris periti? quid medici sine Auerroe, & Auicenna?

## CAPVT. VI.

*De altera parte theologiae, quae positiua nuncupatur, quae concionatoris propriissima est.*



ALTERA Theologiae pars, quae tota (vt dixi) in sacrorum librorum expositione posita est, fructus habet admirabiles, & integram, atque incorruptam voluptatem: immensus thesaurus, eximium bonum, & inuentum Spiritus Sancti, quo vix quidquam maius à Deo

De Theologia  
positiua.

immortali hominibus datum fuit. Hæc animos colit, vitia radicitus extrahit, ad Dei cultum, & ad modestiam magnitudinemq; animi homines erudit, & ab animo tanquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, vltima, media videremus. Nihil hac optabilius, neq; præstantius, cui qui pareat omne tempus ætatis possit sine molestia degere, iuuentutem enim alit, senectutem exornat, in aduersis consolatur, in secundis rebus moderationem docet, animos ad æterna attollit, fluxa & caduca contemnere facit, homines Diuis reddit simillimos, & quãdam beatitudinis imaginem exprimit. Hęc mirificam habet vim ad animos hominum immutandos, ad incendia carnis extinguenda, ad contemptum sæculi, ad omne deniq; virtutum genus comparandum, animos duros emollit, frigidos cœlesti igne succendit, *Nam verba Domini quasi ignis sunt, & quasi malleus conterens petram.* Euanciscit amorem sæculi, excitat desiderium æternorũ bonorum, perfundit animos incredibili quadam voluptate, quam

qui

qui sentiebat clamabat, *Quàm dulcia fau-*

Psal. 118.

*cibus meis eloquia tua, super mel ori meo.*  
Est vitiorum pestis, expultrix tenebrarum,  
laborum comes, adolescentiæ institutrix,  
virilis ætatis firmamentum, dulcissimum  
perfugium senectutis. Nullum enim vti-  
lius, aut præstantius, vel dignius homine  
est studium, quam sacrarum literarum.

Psal. 1.

Vndè propheta Regius in psalmo, 1.  
beatū prædicat, *Qui in lege Domini medi-*  
*tatur die, ac nocte.*

Hæc à nostro concionatore non leui-  
ter attingenda est, sed omni cura, & diligē-  
tia inspicienda est. Huic se seruet, in hanc  
totam operam, atq; industriam conferat,  
in hac acquiescat, hæc suorum studiorū fi-  
nem, & quasi portum esse intelligat. Atq;  
utinam id omnibus persuadere possimus,  
illisq; præsertim, qui scholasticæ theolo-  
giæ dediti sunt, quorum magna pars in il-  
lis controuersijs, & disputationibus im-  
moritur: sacram autem scripturā, ex qua  
illæ emanant, & fluunt, quæ plena est iu-  
cunditatis, & grauitatis, propriaq; theolo-  
gorum, à nemine nisi ab ipsis contemni-

tur, qui ex omnibus maximè theologi haberi, & dici volunt.

Quemàdmodum ergò nemo esset, qui nō illos stultos, & à communi sensu prorsus alienos iudicaret, qui longo, & difficili itinere confecto, ut muris egregiè septam, atq; omnibus opibus affluentem civitatem viderent, in portis hærerent, & ingredi cūm liceret, recusarent: ita istos qui ea studiosè comparauerunt, quæ ad rem tantam tamq; præclaram necessaria videbatur, nec ea frui volunt, non ego stolidos aut plumbeos dicam, sed etiam humanitatis expertes, & sibi ipsis invidentes.

Cūm autem hæc sit præstantior theologiæ pars, & finis, ac principium prioris, qua fronte theologi nomen sibi vindicare audet, qui quod in theologia præcipuū est, omittit?

Non est orator qui res inuenire, & collocare potest, si præcepta non tenet eloquendi. Non est physicus qui cœlorum naturam, & ea quæ ex illis conficiuntur contemplatur. Nec verò Iuriconsultus, qui testamentorum tantum, & transactionum

tionum rationem affecutus est: & erit cuiquam theologus is, qui riuulos in theologia tenet, fontem verò ipsum, & caput vnde omnia accepta sunt se se ignorare fateatur? Quid tandem in causa est, vt isti de Deo loquentes theologi, Dei verba, & oracula aspernentur? quòd ea non àdmodum vtilia, aut necessaria sibi existimant, an quod tam facile percipi, cognosciq; possunt, vt opus non sit in eis immorari?

Si quisquam ita hebes est, vt credat constare posse, sine ijs theologiæ nomen, ac dignitatem, illam grauissimi, & præstantissimi theologi vocem magnum & iam theologum admonentis audiat, *Tu* <sup>2. Ad Timo.</sup> <sup>3.</sup> *verò, inquit, permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*



Vidistis ne hæc esse concionatoris munera, & totius nostræ disputationis initium? Videtis ea scripturæ diuinitus inspiratæ tribui? Quid igitur ille faciet, aut qui cōcionator & theologus erit qui hanc nec legit semel?

At credo, nullis est difficultatibus impedita, facilè totam intelliget, qui vel mediocriter in ea laborauerit: nam hæc est hæreticorum communis vox, & magnæ nostrorum hominum partis, nec obscura, nec dubia consensus, sed his si credimus, cæcorum iudicium de coloribus accipimus: viros potiùs eruditissimos, & in hoc studij genere ab adolescentia magna cum laude, & totius orbis vtilitate versatos, consulamus. Hieronymus, qui hæc maxime illustrauit, in longa ad Paulinum epistola singulos scripturæ libros enumerat, & eorum difficultatem, & obscuritatē declarat. Gregorius in prohemio primi libri Regum, sic ait, *Sacra verò scriptura quia diuinitus inspirata est, tātò sublimius etiam præclara hominum ingenia superat, quantò ipsi præclari homines Deo inferio-*

Hier. epist.  
ad Paulinū.

Greg in Pro  
hem. i. libri  
Regum.

res sunt, & nil in illa spirituali sublimitate  
conspiciunt nisi quod eius ipsius diuina dis-  
putationis bonitate reuelatur.

Quid Augustinus? Tanta est, inquit, Aug. in epis-  
tola 3. ad Vo-  
lufian, tom.  
2.  
Christianorum profunditas literarum, ut  
in eis quotidie proficerem, si eas solas ab in-  
eunte pueritia usq; ad decrepitam senectu-  
tem, maximo otio, summo studio, meliore in-  
genio conarer addiscere, non quod ad ea,  
quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis per-  
ueniatur difficultate, sed cum quisque ibi  
fidem tenuerit (sine qua pie, recteq; non vi-  
uitur) tam multa, tamq; multiplicibus mys-  
teriorum umbraculis opaca intelligenda  
proficientibus restant, tantaq; non solum  
in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiã  
in rebus quæ intelligenda sunt latet altitu-  
do sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis,  
flagrantissimis, cupiditate discendi hoc cõ-  
tingat, quod eadem scriptura quodam loco  
habet: Cum consummauerit homo, tunc in-  
cipiet.

Ecclesiastici.  
cap. 18.

Auditis Augustinum, illum, inquam,  
diuini ingenij hominem, qui omnes inge-  
nuarum artium libros, quoscunq; inueni-

re potuit, per ſe ipſum legit, & intellexit  
 adoleſcens, quem qui dicentem, ac ex-  
 plicantem ſingula adſequēbatur, doctiſ-  
 ſimus ſibi videbatur. Multa ſunt hac de re  
 à maioribus noſtris præclare dicta, ſed poſt  
 tantum, & tam apertum ingenij testi-  
 monium nihil habeo quod proferre iam poſ-  
 ſim. Minimè verò mirum eſt Auguſtinum  
 de ſe iſta dixiſſe, cùm David qui ſe conti-  
 nenter in his libris verſari, & plus quàm ſe-  
 nes intellexiſſe cōfiteatur, à Deo ſupplex pe-  
 tat, *Revela oculos meos, & conſiderabo mi-  
 rabilia de lege tua.* Et libro ſuo Oſec dix-  
 rit, *Quis ſapiens, & intelliget iſta, intelli-  
 gens, & ſciet hæc?* Deniq; in epiſtolis Pauli,  
*Quadam eſſe difficilia intellectu, quæ indo-  
 cti, & inſtabiles homines depravant, ſicut  
 & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum per-  
 ditionem,* à Petro accipimus. Et in Apoca-  
 lypſi liber memoratur, *Quem neq; in cælo,  
 neq; in terra, neq; ſub terra quiſquam po-  
 tuit aperire, donec agnus aperuit.*

Sunt enim tan reconditæ ſacræ lite-  
 ræ, vt inanis ad eas ſit hominum labor,  
 & induſtria, niſi Chriſtum ducem, &  
 aucto-

ſic ni quā  
 oV h. a. ſlor  
 moſ, nſul

ſal 118:

Oſec. 14.

2. Petri 3.

Apocal. 5.

auctorem, atque eius spiritum doctorem sequantur. Quod igitur non solum utile, sed etiam necessarium est, ac labore, & otio indiget multo, & suauitate præterea sua animos allicit, vegetat, erigit, ac diuinos prope reddit, quæ ignauia, aut quæ dementia est ita contemnere?

Quid verò istos decipiat video, negligendum primum hoc studij putant, vt intentius scholasticis controuersijs operam dent, post autem doctiores, & illa priorum studiorum consuetudine ducuntur, & quod se non admodum paratos cernunt, intra domesticos parietes latitare malunt, quam iam longo labore lassati per mare illud vastū & spatiosum navigare. Quibus ego nunquam concedere verborum accuratius primo & diutius theologicis disputationibus inuigilari oportere, negligendas vero esse aliquo tempore sacras literas non concedam.

Omnes autē cōmuni quidē illo, sed certe maximo in errore hæsitant, & sunt discipulæ theologiæ cognitionē ab scripturæ sacræ intelligentia seiunctam, atq; diuersam

uersam esse, nec vident vnum esse vtriusq;  
 facultatis principium, & ortum, eadem in  
 vtraque tractari, vt necesse sit eas nexas ef-  
 fe, & iungatas. Vna est ergo theologia, non  
 due, habet autem duas partes riuis, nō fon-  
 tibus deductas, sed ita coniunctas, vt qui  
 alterutrā omisserit, theologus negari de-  
 beat, fieri enim non potest, vt alterius sine  
 altera plena & perfecta cognitio capia-  
 tur.

Nam qui sacris libris ignoratis in illis  
 questionibus semper exercetur, sine suo  
 carer, & se ipsum mirabili delectatione pri-  
 uat, illis non dissimilis qui malunt semper  
 in puluere, & sole versari, quā aliquando  
 ad vmbra & præsens loci amēnitatem  
 diuertere. Sed iam esset tandem theologus  
 incepit. Qui verò quasi compendio vti-  
 sine scholasticæ theologiæ eruditione, & la-  
 bore, ad sacras literas rem non minus ar-  
 duam, & difficilem, quā pulchram, &  
 vtilem venit, hic neq; theologus est, neque  
 esse incepit, sed Grammaticus, atque nu-  
 gator.

Itaque ille prior cum euangelico homi-



ne conferri potest, *Qui capit adificare, & non potuit consummare.* Hic verò cum viro stulto, *Qui edificavit domum suam super arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.*

Luce. 14.

Marth. 7.

Equidem ita sentio, & ita doctissimorū quēq; sentire video, cū multa sint ad sacra scripturam percipiendā, cetera vtilia esse, scholasticā theologiā penitus esse necessariā: quam qui ignorant, impuris manibus sacra contrectāt. Nam cū in scriptura permulta sint difficillima, quæ indocti & instabiles homines depravant ad suā perditionem, & ab sanctis patribus multa securè dicta, quia res illis erat cum catholicis, & pijs, necesse est vt qui illam partem prætermisit, in qua ista diligenter excutuntur, & explicantur, in hæreses, & errores incidat, & vbiq; quasi cæcus offendant. Quamobrem hæretici omnes ex maiorū nostrorum operibus, sed ex sacris præsertim libris, in quibus legendis multas horas consumauerunt, argumenta in nos quasi

ex promptuario proferunt. Suntq; iidem linguarum trium peritissimi, & tamen in absurdos, & incredibiles errores, nec tantum cum fide, sed etiam cum hominum sensu, naturaque pugnantēs ceciderunt, quoniam philosophiæ, & theologiæ quas maximè aspernabantur, adiumento carebant.

Huius generis homines plures quàm cuperemus nostra ætas tulit, & germania, Anglia, Scotia, (ne dicam totus fèrme Christianus orbis) magno suo malo experta est, qui post eloquentiæ atque linguarum studia ad Paulum, quasi ad Ciceronem, venientes, & arcana illa (vti necesse erat) ignorantēs, magnarum fuerunt causæ calamitatum: quod malum, & quæ negligentia si diutius serpat verendum est profectò ne multos quidem trilingues, theologos vero nullos habeamus, & nostri homines linguarum elegantia, & eruditione non ad pietatem, sed ad errores sanciendos abutantur.

(12.)

## CAPVT. VII.

*Quomodo concionator theologia vti debeat, & quæ sit optimaratio eius studij, & an ad eum spectet cognitio iuris pontificij?*

**S**ED QUANDÒ quidē nihil omi-  
fisse videmur quod ad sum-  
mum concionatorem perti-  
nere videatur, ac syluam in-  
gentem ante oculos posui-  
mus, quòmodo his vti debeat ostēdamus,  
& quæ sit optima ratio studendi, vt tot ac  
tam diuersis rebus minimè impeditus op-  
timè id quod cupit adipiscatur.

Sed illud prius dicam, ne pōtificij qui-  
dem iuris concionatorem ignarum esse  
oportere, non quòd summum esse in ea  
disciplina opus sit, sed quod veterum pon-  
tificum, conciliorumq; decreta (quæ qui-  
dem rem theologicam cognatione, & ne-  
cessitudine attingunt) ne mediocris qui-  
dem theologus ignorare debet: itaq; nō  
tam in alienis. quam in suis versabitur. Nā  
quæ de rescriptis, & appellationibus, & ac-

*Iuris Pōtifi-  
cij cognitio.*

cusationibus differuntur, & cetera quæ iuri ciuili affinia sunt, iurisconsultis relinquet, quæ verò ad sacramenta spectant, quæq; de vita & honestate sacerdotum loquuntur, diligenter leget, neq; possessione cedet sua.

Ratio studij  
Theologici.

Cum primum igitur theologiæ magistris operam dare ceperit, neq; multos audiet, neq; se statim plus quam ferre possit onerabit, sed ea quæ audierit diligenter percipere, & penetrare conabitur, neque perspicua contemnet, neq; obscura formidabit, nihil finet, quin capiat, prætereire. Maximam laboris sui partem in tibriles illas quæstiones conferet, sine quibus (vt sepe dixi) percipi cætera non possunt. Ita tamē vt statim sacrarum literarum amore capi incipiat, ne ad eas cum venerit, hospes sit: & aliquid semper audiat, ac omnia postea domestica cogitatione, laboreque retractor.

Et quàmuis copia librorum obrui non debet, sed eos maximè legere quos in scholis interpretantur, tamen cum loca sacra scripturæ aut aliorum doctorum sententia

tiæ adferuntur, auctores ipsos videat rationum, & sententiæ vim secum ipse libret: neq; ita aut magistrorum suorum, aut auctorum verbis & auctoritati adductus sit, vt Pythagorecos illos imitetur, qui si quid inter differendum affirmarent, ac quid ita esset rogarentur? respondere solebant, ipse dixit, ipse autem erat Pythagoras.

Quoniam autem exercitationes, & palestre literariæ magno vsui semper esse solent, & ingenium otio, quasi rubigine laeditur, atq; torpet, amicos quærat quibus cum disceptet domi, ac nunc defendendo se, & in alios disputando, nunc paucis horis sumptis, quasi ad Clepsydram, aut ad arenam, labore suo quærat quod dicat, & tanquam præceptor aliorum controuersias illas theologicas palàm tentet explicare. Id autem semper faciet, dñec in publicum prodire, atq; in omnium oculos depromere possit quod domestica exercitatione consecutus est, alios interea pugnantes videat, vt quomodo ipse aggredi hostem, atq; ab eodem se se tueri debeat, alie-



no periculo (quod iucundum est, & suave) perdiscat.

Vtriusque  
testamenti  
lectio.

Est etiam perutile, perq; necessarium id temporis (præter illud quotidianum, & leue scripturarum studium) veteris, ac noui testamēti volumina omnia semel legere (vt Augustinus præcipit) vt eorum historias, & locos quasi familiares habeamus, neq; in eis omnino rudes, & peregrini simus, ac ex nouo multa ediscere, præsertim ex Pauli epistolis, in quibus, & plurima ex veteri subtiliter enucleantur, & omnia pene præcepta euangelij continentur. Quo labore præter mirificam vtilitatem, & voluptatem illud assequemur, vt cum causa postulauerit, longa illa consuetudine, non tam sacris literis eruditi, quam cum eis nati fuisse videamur.

Aug. lib. 2.  
de doctrina  
Christi, ca. 8.  
& 9.

At cum relictis præceptoribus ingenij vires periclitari volet, & quasi nouam sine ducibus ingredi viam, optimos quosq; auctores eligat, quibus se totum dedat, & quos præcipue velit imitari, tamen si nullum doctus qui sit, a se putare debet alienum.

Et quoniam vt diximus in scholastica  
theo-

theologia quasi solum quoddam, atq; fundamentum ad sacras literas ponitur, in hac se vehemēter exerceat, hæc illi oculis, atq; animo versetur, in illas paulò quidē quam antea contentiūs, sed minus tamen quam in hanc incumbat, donec istas scholarum disceptationes calleat, in quibus quò magis profecerit, eò plūs otij diuinis libris supeditare poterit, atq; ita paulatim æquē in vtraq; parte laborare.

Sed ne generatim, & subobscurè dicā, quod ego cunctis perspicuum esse vellem, doctores nominatim proferam, quos sequendos maxime iudicem, non equidem ambitione, aut gratia, sed libere sententiā exponens meam.

Inter Scholasticæ theologiæ magistros Thomas Aquinas primus legendus est, deinde (vt de Cicerone Titus Liuius. Quintilianusq; dixerunt) vt quisq; erit Thomæ simillimus. Nam tametsi certò sciam nunquam me id Scoti amatoribus persuasurum, si singula diligenter inspiciamus, neminem esse arbitror, cui ille nō anteierit. Nam præter admirabilis naturæ singu-

De beato  
Thoma mi-  
ra laudatio.

laritatem, quam ille Deus in omnium hominum utilitatē dedit, omnibus ingenuis artibus excultus ad theologiam accessit, quam eis ita ornauit, illustrauit, & auxit, ut non Aristoteli magis philosophicæ literæ, quam huic theologicæ debeant.

Cū de dialectica, aut de philosophia differit, aut Aristotelem exponit, quem indoctorum interpretum vitio corruptum inuenit, negabis eum alijs disciplinis operam dedisse, miraberis hominem græcē nescientem in Græco philosopho, quem etiam Græci ipsi vix intelligunt, tantū intelligendo, enarrandoq; potuisse. Cū verò ad theologiam, hoc est, ad sua venit, ut est ubiq; Aristoteli simillimus, quo ordine cuncta tradit, non audientibus modo, sed ipsi etiam naturæ consentaneo, omnia quæ dicuntur non ex dicendis, sed ex dictis pendent more Mathematicorū, ut nō tam coniuncta, quam concatenata videantur. Res vero obscuras, & difficiles, qua breuitate perstringit, qua perspicuitate declarat, qua subtilitate peruestigat: quo ingenio ex rerum ipsarum natura argumenta, & ra-

& rationes eruit, quo iudicio disponit, quā maturitate de maximis, & abditissimis statuit: quo mentis acumine omnia quæ in re sunt lustrat, vt nihil temere dicit, vt nihil est quod in illo requiri queat, quod illa sua breuitate non comprehendat. Nullam in suis disputationibus rem defendit, quā non probarit, nullam oppugnavit, quam non euerterit. Ita subtilis est & acer, tanta in illo cognoscendi, & docendi vis, tanta physices, & primæ philosophiæ facultas.

Quamòbrem qui in eius scriptis magna vigilantia, & assiduitate versantur, solidam quandam, & sanam eruditionem assequuntur, ac rerum causas, quæ maximè primæ, & ad rem accommodatæ excogitari possunt, cognoscunt. Multa etiam ex sacris literis pulcherrimè explicata inveniunt, cum hominum sensu, & cum natura valde cōgrua, quæ opiniones suas facillè & tueri, & persuadere possunt. Ac mea quidem sententia si ea ætate natus esset, quæ linguarū studio peritia floreret, qualis est hæc nostra, nemo illum ex magnis Græcorum philosophis, nemo ex omnibus aut

Græcè, aut Latinæ Ecclesiæ doctoribus superare potuisset. Hunc ergo semper sequamur, si verè sapere, si tuti esse, si nihil à fide aberrare volumus, ille se multum in theologia profecisse putet, cui diuus Thomas Aquinas valde placebit.

Et quàmuis multos, & eruditos de theologia libros edidit, qui diligenter legendi sunt, nulli tamen cum summa theologia, & illis qui sunt aduersus ethnicos conferri possunt, aut debent. Nam hos iam maturæ ætate atque doctrina, & diuina illa mētis acie, tum longo & assiduo labore multò se ipso doctior cōscripsit, illos iuuenis, & non tam suas quam aliorum opiniones sequens in lucem dedit. Atque vtinam velox, & immatura mors, ita enim fuit, viro maximo, & maximis in rebus occupato aliquantulum pepercisset, vt extremam summæ suæ partem perficeret, nec nos admirabili, & eruditissimo opere priuasset.

Ad eum autem rectè intelligendum adhibendi sunt doctorum hominum libri, qui non solum illustrauerunt, sed etiā



ab argutorum aduersariorum iniuria ipsius scripta vendicarunt, in quibus est Capreolus, Paludanus, Thomas Caietanus, Iacobus Deza Archiepiscopus Hispalensis, & grauiissimus atq; doctissimus Magister Soto, cui ego neminem in isto genere antepono, qui iam senex & longo, vt ipse ait, iugo decaluatus, hoc est, tota in literis ætate consumpta, diligentia sua senilique sapientia fecit, vt nihil in hac quidem parte, Thomæ subtilitatem, et industriam desiderare possent eruditi.

Nec vero contemnendus est Ioannes Scotus Minoritanus, tametsi Thomæ non solum dissimilis, sed vt videtur, æmulus, et plusquam par erat studio contradicendi ardēs, spinosus, & horridus, nā est etiam subtilis, & vehemens, et multa sæpè confert cognitione digna: et deniq; quia cum Thoma, quasi Dares cum Entello, semper pugnat, omitti non potest,

Plerosque autem ex recentioribus qui Scotice subtilitatis imitatores videri voluerunt, et quasdā prodigiosas, ac stultas questiones attulerūt, ego nec aspiciēdos quidē

puto. Nostra ætas multò perfectio felicior fuit, quæ multos, atq; eisdem doctissimos homines tulit, & in humanioribus literis diligentiores, ex nostris, Dominicum Sotum, Melchiorem Canum, Alphonsum Castum, Andream Vegam, Ioannem, & Bartholomeum Merynam, Dominicum Bañes, Fratrem Petrum Aragonē, Frācis- cum Xuarez societatis Iesu, & alios quam plurimos, quos breuitatis causa omitto.

Ex externis Ioannē Episcopū Rossensē, Ioānē Driedonē, Iacobū Latomū, Ioannē Echiū, Iacobū Clithobē, Robertū Belarminum, Gregorium de Valencia, & alios quorum ad nos nondum opera venerunt

Atq; hos omnes quāmuīs accuratè, ac diligēter legi velim hoc præsertim tēpore quo nōdum hæreses extinctæ sunt, in quas illi pia, & in primis erudita volumina scripserunt, tamen horum parentes & magistros, id est, veteres theologos, Thomæ similes semper scrutemur, hos cuoluamus, his nos tradamus. Principes sunt in hoc genere Petrus Lombardus, Duo Guillelmi, Altissiodorensis, & Parisiensis, Alexander

Halensis & cæterorū ferme omnium dux  
& magister Albertus Magnus, Hugo Vic-  
torius, Bonaventura: quibus ego & si æta-  
te & eruditione non nihil inferiores Du-  
randum adnumero, ac Thomam Vualdē-  
sem piū doctūq; scriptorem, & Richar-  
dum Archiepiscopum Armacanum.

Sed quia nemo satis ista, quæ ab his tra-  
duntur percallere potest, nisi ad sacra-  
scripturam, & eius interpretes, quasi ad pri-  
mos fontes veniat, Augustinum maxime  
omnium legat, à quo, vt dixi, doctores  
scholastici permulta didicerunt,

In noui verò testamenti expositione,  
Chrysostomo, & Græcis primas facile tri-  
buerim. In veteri Hieronymo, tametsi ijs-  
dem Græci multū in hoc quoq; excellue-  
rint. Augustinus in vtroq; mirandus: itaq;  
quāuis semper animo, & cogitatione defi-  
xum esse oporteat quod Hieronymus ad  
Furiā scribit, vt post scripturas sanctas  
doctorum hominum tractatus legat, eorū  
dumtaxat, quorum fides nota est: nam ni-  
hil necesse est illi aurum quærere in luto:  
tamen, vt de scholasticis dicebam, anti-

Hier. epist.  
ad furiā.  
de diuitiis  
seru.

quissimos quosque amplectamur, qui sal-  
nè junioribus hac in re non minus doctri-  
na, quàm tempore priores fuerunt.

Contemnamus ergò arescentes, & cæ-  
nosos riuulos, & ad illos illimes fontes ve-  
niamus, ex illis puram, ac dulcem aquam  
hauriamus, ad illos consenescamus, ad il-  
losq; moriamur.

Et quòd iam vetustatis iniu-  
ria amissimus, auidius eos, qui supersunt,  
retineamus, Dionysium Areopagitam,  
duos Clementes, Romanum, et Alexan-  
drinum, Athanasium, Basilium, Ioannem  
Chrisostomum, Cyrillum, Theophilaetum,  
Theodoretum, tres Grægorios, Nazian-  
zenum, Nyfenum, atque Magnum, Hie-  
ronymum, Ambrosium, Augustinū, Ber-  
nardum, Prosperum, Leonem Pōtificem  
maximum, Ioannem Damascenum, Hila-  
rium, Petrum Chisologum, Bedam, Ru-  
pertum Abbatem, & cæteros, siue ex Græ-  
cis, siue ex Latinis, qui horū tēporibus flo-  
ruerunt, per hos qui scholasticis illis quæ-  
tionibus imbutus fuerit, sine offensione  
decurrere potest. Multa enim quæ alios

mouerēt, aut leni, & amica interpretatione molliet, aut prudētia, & eruditione vitabit.

Nonnullos magna attentatione, & cautione leget, nempe Originem, Tertullianum, Firmianum, & qui sunt his similes, in quibus sunt quedam à fide nostra prorsus abhorrentia.

Cyprianus præter illā de Baptismo Hereticorū sententiā, pauca habet paulò duriora.

Caictanus homo alioqui suorum tēporū doctissimus multa audacius dixit, quæ omnia vno libello summam Ambrosius Catharinus cōprehendit, quamuis interdū non nimis æquus iudex, atq; censor.

Nemo verò est per quem ita timido, & quasi suspēso gradu incedere debeamus, & à quo ita cauere oporteat, ut Erasmus, qui multam incredibili temeritate tractauit, quæ nesciebat, multa stultissimè, plura impudētissimè dixit: de cuius ego fide atq; pietate nihil statuo, scripta certè omnia, quæ vix vna bibliotheca possit capere, varijs erroribus respersa sunt, occultis quidem illis, & callida, atq; christiana simplicitate, tāquā aurato integumēto, velatis, sed intolerandis



dis tamē, & perniciosis, atq; hæresum, quibus nunc Ecclesia tuabatur, neq; dubia, neque incerta semina continētibus. Scio me magnam in me ipsum inuidiam excitare corū, qui Erasmi ingenium, eloquentiamque mirantur, viri sanē studijs humanitatis ornatissimi, deque illis optimē benemeriti, sed mihi Deus testis est, ipsa me veritate, & fidei charitate compulsus hæc nēque tacere, nēque dissimulare potuisse. Nam multi illū securē legunt, nēque verba illa complicata euoluunt, nēque quid sub illis eloquentiæ phaleris tegatur, vident. Ac ne ego innumera referam, sunt enim apud illum eiusmodi innumera, videant quæ in illis Christi verbis, *Iugum meum suauē est*, adnotauit. Nihil est ab Ecclesia sancitum, quod tollere ipse non velit, ieiunia, delectum ciborum, preces sacerdotum, stabilitatem matrimonij, vota, decreta, consuetudines, pœnas, vnum vult, retinere vult euangelium.

Cum ergo Thomam, aut quemuis aliū legerit, conclusionem quæstionis animo teneat, & rationem vnā, eandemque  
 215  
 opti-

optimam non vnde cūque petitam, sed ex ipsis rei penetralibus extractam, aut si ad fidem pertinent, validissimum sanctæ scripturæ, aut conciliorum testimonium memoriæ mandet, argumēta aduersariorum ponderet, & in difficillimo moretur, nec ē manibus elabi sinat donec satis sibi ipse faciat, tota rei difficultate finita.

Hinc ad Caietanum, & ad eius generis alios veniendum est, vt illa ipsa radicitus intelligantur, idemque in illis faciendum, si nouas quæstiones, aut argumenta noua adtulerint, loca quæ aut adduxerint, aut notauerint, vidēda sunt omnia, atque signanda, & ea quæ obiter memoriæ commissa fuerant aliquādo repetenda. Ita fiet vt non multo tempore plurima perlustret, & videat in probatis auctoribus, difficillimarum quæstionum summam, & quasi capita in prōptu habeat, facile quid vis defendere, & oppugnare possit.

✱ Sed ne tam variæ lectionis fructus aliqui ex parte pereat, & imbecillitati memoriæ consulatur, cū rem aliquam selectam, minimèque vulgarem, aut aliquid

ex utroq; testamento diligenter, & quasi alieno loco explicatum, aut præcepta ad sacras literas perspiciendas, siue in Thoma, siue in Lombardo, quem cum Thoma legere debemus, siue in alijs egregijs scriptoribus repperimus, singula sūt seorsum in commentarijs adnotanda, atq; suis locis collocanda, vt aliquid quotidie congregantes (quemadmodum Hesiodus monet) magnum postea nec opinantes acervum habeamus.

Hesiodus.

*Add: parvū parvo, parvo super adde pusillū  
Fiet & totum magnum.*

## CAPVT. VIII.

*De auctoribus quos sequi oportet in sacra  
scripturæ lectione, & de tribus rebus  
ad eius studium maximè per-  
tinentibus.*



IN SACRIS verò literis, quibus nihil est difficilius, maiores nostros eruditissimos, & sapientissimos viros præceptores, & auctores adhibeamus, quos nobis Deus dedit pastores, & docto-

doctores in consummationem sanctorū:  
hos quasi quosdam Dei prophetas vene-  
remur, ab his nunquam nisi manifesta ra-  
tione, veritateq; compulsi dissentiamus.

Ex auctoribus qui ad vetus testamentū  
attinēt, & sequendos in primis iudicamus,  
neminem, siue ex Græcis, siue ex Latinis,  
Hieronymo parem esse dicimus, qui lin-  
guas Hēbraicam, Chaldaicā, Græcam, La-  
tinam præclare cognouerit, & historiæ  
omnis, & literarum sæcularium peritissi-  
mus fuit.

In psalmis vtiliores Græci sunt, quod eū  
librorū ita vt est cōuersus Græcē ab LXX.  
& Græca, & Latīna decantet Ecclesia.

In vtroq; , sed maximē in nouo, legen-  
di sunt Chrysostomus, Cyrillus, Basilus,  
Oecumenius, Theophilactus, Euthimius.  
Augustinus mirabilis est, acutē omnia &  
dilucide explanat. Beatus Thomas, Bona-  
uentura, Albertus magnus: qui scientia  
maxime excelluerunt, Ambrosius, Grego-  
rius, Beda, Rupertus, Alfonsus Abulensis  
Episcopus, Nicolaus Lyranus, Bernardus,  
Richardus, & Hugo de sancto Victore,

glossa ordinaria, & interlinearis, Dionysius Carthusianus: at nō erit finis si de omnibus dicendum sit.

Sed præterire non debet in auctoribus mysticæ explanationis, sanctum Pagnini qui quasi dictionarium quoddam, & indicem sensuum spiritualium in magnam utilitatem edidit, quem Haggogem sacre scripturæ appellauit, nec Hieronymum Lauretum monachum Benedictinum qui syluam conscripsit allegoriarū, opus magnū & eruditum, & quo nihil fingi potest utilius.

Non ergo solus debet intrare in obscura scripturæ sacramenta, sed simul cum viris nominatis, & celeberrimis Ecclesiæ doctoribus, quorum narrationem, id est, explanationē seruare semper præcipitur. *Sapientiam enim omnium antiquorum exquiret sapiens (dicit Spiritus Sanctus) & in prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit, & sic in medio Ecclesiæ aperiet Dominus os eius, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus*



lectus, Et stola gloriæ induet illum. Rectè  
etiam ergo in cap. 8. idem monet, Non te  
prætereant narratio seniorum ipsi enim didice-  
runt à patribus suis, quoniam ab ipsis dis-  
ces intellectum, Et in tempore necessitatis  
dabis responsum, De eisdem etiam dictum  
est cap. 12. Verba sapientium sicut stimuli,  
Et quasi clavi in altum defixi, quæ per ma-  
gistrorum consilium data sunt à pastore  
uno. Pastor vnus Christus est, vt exposuit  
Ezechiel cap. 34.

Ecclesiasti.  
c. 8.Ecclesiasti.  
12.

Ezech. 34.

Ea igitur quæ docent patres à Christo  
acceperunt per priorum magistrorum  
doctrinas: ita Dionysius Pauli discipulus in  
initio cœlestis Hierarchiæ. Clemens mar-  
tyr discipulus Petri epistola, 4. Irineus lib.  
4. cap. 63. Hieronymus in omnium fere  
prologis suorum commentariorum. Cas-  
siodorus in præfatione libri institutionis  
diuinarum lectionum, in hunc modum:  
*Quapropter, dilectissimi fratres, indubitã-  
ter descendamus ad diuinam scripturam  
per expositiones probabiles patrum, velut  
per quamdam scalam visionis Iacob: vt  
eorum sensibus prouecti ad contemplatio-*

Dion. Arce-  
pag. in ini-  
tio cœlesti  
Hieron.Clem. epist.  
5.

Irin lib. 4. c.

63.

Hier. in pro-

log. suor. cõ-

ment.

Cassiod. lib.

iustit. diui-

narum lectio-

num.

Albert. Pyg-

hii Hierar-

chie eccle-

sasticæ in

lib. 6. ca. 18:

versus finẽ.

Raba in Ec-

clesiasti lib.

2 cap. 16. in

principio.

*nem domini efficaciter peruenire mereamur.*

Tria maxime necessaria in concionatore, ad studium sacrę script.

Ac mihi quidem tria præcipue videntur à concionatore nostro afferenda, vt cum Spiritus Sanctus in beatissimū scripturarum thesaurū, & in sacratissima adyta recipiat, ante quæ Dominus collocauit Cherubim, & gladium flammeum, atque versatilem, vt prophanos arceant, & custodiant viam ligni vitæ,

Genes. 3.

Primum est, atq; adeò maximū, pectus à vitijs purgatum, non clausum pudori, atq; sanctimonix, sed fide & charitate, & religione, & cæteris virtutibus excultum, atq; expolitum.

In lib. 2. de vera & falsa gloria, ca. 6. & infra c.

Quod quoniā iam à nobis supra copiosius explicatū est, & infra latè, cum de integritate vitæ agamus, explicabimus, hoc tantum volo, vt intelligat in ijs literis summam veræ pietatis doceri, non leue quid quā, non falsum, non temere confirmatū, nihil quod bonos mores corrumpat, aut quod à bene instituta natura abhorreat, nihil esse recipiendū quod ab his discrepet, nihil quod cum eis congruat respuēdum.

Hæc

Hæc autem intelligi volo ut ad eas veniat valdè reuerenter, cum timore Dei, cum ardentissimo desiderio percipiendi, atque intelligendi, non quò ipse doctus habeatur, sed quò sanctissimis earum monitis, atq; præceptis, & ipse melior in dies euadat, & fratribus profit, Ecclesiamque tueatur, quæ illi vita, atque fortunis debet esse carior. Nisi enim hoc spiritu ad eas accedatur, inanis erit labor. De quo pulchre scribit Bernardus ad Fratres de Mōte Dei.

Quomodo  
accedū est  
ad studium  
sacri script.  
& quā inten  
tione.

Bern. in ser  
mon. ad fra-  
tr. de mōte  
Dei.

*Quo spiritu, inquit, scriptura facta sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligenda sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bona intentionis intellectione eius, & studio assidue meditationis spiritum eius imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsos psalmorum affectus indueris, sicque de alijs.*

Et quoniam res est sublimis, atque diuina, deponenda est superbia, mentis elatio, fiducia sui, quibus nihil esse periculosius potest. Adhibeat in hoc studium omnem operam, atque laborem sed cum

Superbia  
atq; fiducia  
sui fugiēda,

Labor & O-  
ratio maxi-  
mè iuuant  
ad studium  
sacrarum li-  
te: arum.

Ecclesiasti,  
39.

assidua oratione coniunctum, atque socia-  
tum: non enim dici, aut credi, nisi ab exper-  
tis potest, quantum se in his literis iuuent  
labor, & oratio. Vnde Spiritus Sanctus la-  
borare nos iubet, & orare, vt per laborem,  
& orationem perfectam ex diuinis libris,  
atq; sanctorum cognitionem perfectam  
hauriamus, subiicit enim, *Cor suum tradet  
ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fe-  
cit illum, & in cōspectu Altissimi deprecabi-  
bitur, aperiet os suum in oratione, & pro  
delictis suis deprecabitur, si enim Dominus  
magnus voluerit, spiritu intelligentia reple-  
bit illum, & ipse tanquā imbres mittet elo-  
quia sapiētia sua, & in oratione cōfitebitur  
domino, ipse palàm faciet disciplinam doc-  
trinae suae, & in lege testamenti Domini glo-  
riabitur, collaudabunt multi sapientiam  
eius, & usq; in seculum non delebitur.*

Hæc si quis se afferre posse confidit, in-  
grediatur in hortos semper vernantes, in  
fontem aquæ viuæ salientis in vitam æter-  
nam, in Paradysum deliciarum: videbitq;  
gloriam Domini, nec satiabitur, vescetur  
pane Angelorum omne delectamentum

sua-

suauitatis in se habente, & erit sicut lignū <sup>Psal. 1.</sup>  
 quod plantatum est secus decursus aquarū,  
 quod fructum suum dabit in tempore suo,  
 & folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet prosperabuntur.

Sin hæc defint, vulgari doctrinæ Christianæ cognitione contentus intra sanctū sæculare se contieat, neq; in sancta sanctorum temerarius irrumpat, ne consumat eum cœlestis ignis, ne espernat cibum Domini, & quærat carnes Ægyptiorum, & panis filiorum vertatur in venenum. Hæc omnia & si varia videntur, primo illo membro (hoc est purgato pectore) cōprehenduntur.

Secundum est, quod asferre debet mediocrem rerum theologicarum cognitionem, de Deo, de creatione rerum, de fine ultimo, de moribus, de Sacramentis, vt errores vitet, vt iudicium de expositionibus scripturæ ferat: vt si quando in ea quidquā occurrerit quod cum doctrina illa minimè congruere videatur, intelligat Spiritū Sanctum non id quod videtur, sed aliud longè diuersum significare voluisse. Sæpè



enim dixi, & dicam sæpius ad scripturarum intelligentiam disceptatricem illam theologiam, pater cætera, esse necessariam: huic si sint adiuncta alia, quæ cognoscenda, & percipienda esse diximus, magum profecto utrique parti adiuumentum afferent.

Tertium est, ut scripturas non proprio sensu intelligere, aut interpretari velit, sed ut intellexerunt sancti patres, & ut Ecclesia Catholica, atque Apostolica semper explicauit. Nec impudentem Lutheri, aliorumque Hæreticorum temeritatem, & inuidiosam arrogantiam imitetur, qui maiores nostros indignissimis cõuitijs afficiunt & incredibili petulantia derident, ac per se ipsos omnia inspicere volunt: ut merito Hieronymus queratur *Non tantum liberas, verum etiam sordidas artes sine doctrina non percipi, solam scripturarum artem esse quam sibi omnes vèdicent, lacerent, doceant antequam discant.*

Hic Lutherus, Deus bone, quas tragœdias excitat. Audite verò insanissimi hominis, & turbulentissimi sensum, nisi fortè

In epist. ad  
Paulinum.

& au-

& audiendo aures vobis, & mihi os dicen-  
do pollui existimatis.

In prohemio impientissimorum arti-  
culorū suorum à Leone decimo damna-  
torum ait, scripturam non esse quidem  
proprio sensu intelligendam, sed quid sit  
proprio sensu, negat intelligi à nobis. Iu-  
bet patrum nostrorum eruditissima com-  
mentaria contemni, & ipsam per se scrip-  
turam legi: quam dicit esse minimè obscu-  
ram, sed perspicuā, & facilem, suiq; ipsius  
interpretem. Eam spiritu quo scripta est in-  
telligi debere testatur, sed illum spiritum  
nūquam præsentiū, & viuaciū quā in  
ipsis sacris literis posse inueniri. Hæc ita  
confirmat. Esse in Ecclesia nunc eundem  
spiritum fidei qui olim fuit, nihil ob stare  
vt intelligatur scriptura nullis adhibitis  
commentarijs, vt intellecta est in initio  
Ecclesiæ, cum neque Augustinus legeba-  
tur, neque Thomas, pugnare inter se di-  
cta patrum, nullum esse in quo non sint  
aliqui errores: periculum etiam esse ne  
libri patrum proprio spiritu intelligan-  
tur, ideoq; ad illorum commentaria alia,

atque ad hæc alia necessaria esse donec in infinitum eatur numerum commentariorum.

Videte quam artem excogitarit veterator, quo patribus reiectis, scripturaq; prohibito explicata impunè nefarium & pestilens sacrilegi oris venenū euomeret. Sed neq; inanes tuas disputationes timemus Luthere, nec diabolus qui in te loquitur formidamus. Sapientiam non vincit malitia, caducum est, & leue mendacium, firma est, & robusta, & stabilis veritas.

Est quidem verum quæ sunt ad salutem necessaria non esse in scripturis difficilia, sed si ita illæ apertæ sunt, ut intelligi à quo vis queant, cùm quibusdam tui similibus dictum est, *Erratis nescientes scripturas, neq; virtutem Dei?* Cur de Iudæis qui studiosissimè in lege versabantur, scribit Paulus, *Vsq; in hodiernā diē, cū legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum?* Cū petit David, *Reuelari sibi oculos, ut consideret mirabilia de lege Domini?* Cur scribit Petrus esse in epistolis Pauli quædam difficilia intellectu, quæ in docti, &

Matth. 22.

2. Cor. 3.

Psal. 118.

2. Petri. 3.

insta-

*instabiles deprauant, sicut & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem?*

Sed fingamus eas esse eiusmodi, vt neq; magnum ingenium, nec multi temporis eruditionem, nec variarum rerum intelligentiam desiderent: putas ne ab his patribus intellectas esse, quos in eis multum, diuq; laborasse vltro ipse confiteris? Cur igitur non discamus ab his, quæ ipsi summo labore quæsierunt, scriptisq; mandauerunt?

Et quoniam incomprehensibilem quãdam impulsione spiritus esse asseris, qua sacri libri intelliguntur, nũc ea defuisse existimas sanctissimis viris, & publicæ utilitatis studio flagrantissimis? Hos ne ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi? Si in scriptura ipsa est sensus, quo intelligenda est, nec est aliundè præsidium petendum, cur aperuit Dominus Apostolis sensum, vt intelligerent scripturas, sicut scriptum Lucas reliquit? Cur hunc spiritum non inuenit Arrius, Macedonius, Pelagius?

Luc. 24.

Ais in Ecclesia eundem nũc esse spiritum  
tum

tum fidei, qui olim fuit: vtinam ita dicerēs omnia, sed hic spiritus, nec fuit, nec nunc est in priuato aliquo Ecclesiæ membro, ita vt labi non possit in exponenda scriptura: ideo ergo te hortamur, vt nec tuo sensu nitaris: nec vnum aliquem ex patribus vbi à cæteris discrepauerit, sed omnium cōsensum sequaris, quos vt doctos, & pios probauit Ecclesia, columna, & firmamentum veritatis.

Quòd si in quopiam eorum aliquid offendes forte fortuna, quod iam errorem appellare possis, facile ex reliquorū explanatione, sententijsque refutabis. Sed eorum expositiones diuersas, & à se multo dissentientes esse cauaris. Hoc nisi sit in rebus fidei, nec secum pugnent, ingentem vtilitatem affert, suggerit enim copiam armorum in hæreticos, & domum Domini ædificat, mores conformat, auget charitatem. Si ita pugnantes sint vt constare simul nequeant, quam plures doctioresq; præferunt, quæq; aptius cum antecedentibus, & consequentibus cohæret, eam verò sequere, ac elige. In ijs autē quæ  
fidem



fidem attingunt, vix, ac ne vix quidem, eos inuenies dissentientes : sed si dissentiant, paucitati vniuersitatem & antiquitatem antepone, consule Ecclesiam, & eius caput, ac principem Pontificem maximum. Nec tibi turpe futurū existima quod Hieronymo summo homini decorum fuit, à quo cū in triumpho Hypostaseon nomen cōtētiūs Arriani efflagitarent, ex vltima Syria cathedram Petri, & fidem (vt ipse inquit) Apostolico ore laudatam sibi censuit consulendam.

Hier. in e  
rola ad D  
masum.

Ac quoniam omnia tibi ex scriptura probari vis, vide quid sit praeceptum in figura. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & non lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, Surge & absconde ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicē qui fuerit illo tēpore, queresq; ab eis, qui iudicabūt tibi iudicij veritatē. Atq; haec dicta sunt illis quidō, sed, vt caetera omnia, scripta sunt prop-*

Deut. 17.

ter nos, in quos fines seculorum deueni-  
runt.

Nec est cur immensum augere nume-  
rum cōmentariorum velis, nō sunt valde  
obscuri libri patrum, ei qui sit mediocriter  
in hoc studij genere versatus. Sed durum  
tibi videtur scripturas per se non intelligi,  
vt initio Ecclesiæ intelligebantur. Ignoras  
initio perfecta creari à Deo solere, vt alia  
ipsa gignant, quæ non continuò perfecta  
sint, sed spacio, progressuq; temporis. Ini-  
tio creationis suæ perfecta fuerunt animā-  
tia, ita vt sibi similia procreare possent,  
quod non est postea datum ijs, quæ sunt ex  
illorum semine procreata, nisi certa mag-  
nitudine, & certo tempore. Eodem mo-  
do in scripturæ intelligentia factum est,  
rectissime enim aiunt illi ipsi theologi,  
quos tu maxime vbique contemnis, ita  
Deum operari in rebus gratiæ, vt in natu-  
ræ rebus operatur. Apostolis, tanquam  
primis Ecclesiarum magistris, Christus  
aperuit sensum, vt intelligerent scriptu-  
ras, idque superueniens Spiritus Sanctus  
accumulatus donauit, nullo eorum la-

hore, nulla lectione maiorum. Horum discipulis (qui quidem multi, & doctissimi extiterunt) nō est datus tam amplius, tamque præstans numinis fauor, sed ingenio, & industria pollentes, & ab Apostolis omnia perquirentes, studiofissimeque discennes, ceperunt libris editis ineffabilia scripturarum arcana reserare;

Itaque iam ea tempestate doctorum hominum libri legebantur, qui rationem posteritatis habuerunt, vt Clementis Romani, Dionysij Areopagite, Ignatii, Ioannis presbyteri, Papię, Quadrati, Polycarpi, Aristidis, & aliorum.

Qui hos ætate subsecuti sunt, eos cum scripturis accuratissime lectitabant, idque est omnibus sæculis factitatum. Hieronymus in cathalogo scriptorum Ecclesiasticorum testatur se Paulum quendam vidisse Concordiæ (quod oppidū Italię est) senem, qui se beati Cypriani, iam grandis ætatis notarium (cum ipse admodum esset adolefcens) Romę vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum

Hier. in cathalogo scriptorum Ecclesiasticorum.

absque Tertulliani lectione vnam diem præterijſſe, ac ſibi crebro dicere, *Damagistrum*, Tertullianum videlicet ſignificans. Hieronymus quam ſtudioſe legerit Originis, & omnium veterum ſcripta, quantaq; ab eis acceperit in commentarijs ſuis ipſe identidem indicat. Nec maiorum libris contentus ſacras literas à Gregorio Nazianzeno, & à Didymo Alexandria didicit, & nec Hebræos quidem magiſtros repudiavit. Videlicet, non inueniebat eam in ſcriptura perſpicuitatem, quam te inueniſſe Luthere impudentiſſimè iactitas.

Auguſtinus etiam per huiuſmodi auctores ſe ſe profeciſſe non diſſimulat, & eos in ſuę ſententię confirmationem honorificentiſſimè nominat. Subſcribam equidẽ quædam eius verba ex ſecundo contra Iulianũ, vnde id perſpicuè deprehendi queat. *Propterquam*, inquit, *catholicam veritatem ſancti, ac beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clariffimi ſacerdotes, Irineus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambroſius, Gregorius, Inno-*

Aug. lib. 2.  
cõtra Iulianum.

centius, Ioannes, Basilius, quibus addo  
Presbyterum, velis, nolis, Hieronimum (ut  
omittam eos qui nondum dormierunt) ad-  
uersus vos proferunt de omnium hominum  
peccato originali obnoxia successione sen-  
tentiam. Quod si ex his quispiam aliquādo  
labatur, quam modeste quam piē, quam  
honorificē excusat. Cypriani testimoniū  
de baptismo Hæreticorum, quo cum Do-  
natistæ vrgebant, ac premebant, quanta  
auctoris laude, ac reuerentia reijcit. Et ta-  
men non vis tibi obijci patrum auctori-  
tem, cum his armis patres ipsi persæpe vtā-  
tur in hereticos.

Gregorius, Hieronymum, & Augusti-  
num; aliosq; non modo perlegit, sed ad fa-  
ciendam etiam fidem testes vocat. Bernar-  
dus qui sacras literas à Deo didicisse fertur,  
Augustini, & Gregorij multorumque an-  
tiquorum scripta diligentius euoluit. Sed  
quid necesse habeo de pluribus dicere? tu  
potius vnum profer, qui vt sacras literas  
intelligeret, maiorum libros non contri-  
uerit legendo.

Beatus Augustinus in libro de utilita-



te credendi ad Honoratum capite septimo cum sacros iste libros, sine aliena ope legere & intelligere se posse arbitraretur, *Ita ne es* (Augustinus ait) *nulla imbutus poetica disciplina? Terentium sine magistro attingere non auderes, Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur ut quilibet poeta possit intelligi, tu in sanctos libros sine duce irruis, & de his sine praeceptore audes ferre sententiam?* Et cap. 17. *Si unaquęq; disciplina, inquit, quamvis vilis & facilis, ut percipi possit doctorem aut magistrum requirit: quid temerarie superbie plenius, quam divinatorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere?* Quam eandem sententiam confirmat Gregorius lib. 28. moralium, cap. 9. exprimens de sanctis doctoribus illud, *Super quo bases illius solidatae sunt.*

Vides iam falsum esse quod dicebas, & præter Apostolos, & discipulos Domini neminem esse, qui per se ipsum scripturas intellexerit. Hoc ipsum figura quadā quodāmodo prædictum, & prænuntiatum est

est septuaginta viris, quos elegit Moyses, Num. xi. 1  
ut populum docerent, administrarentque  
rem publicam spiritum suum dedit Deus,  
eosque scientia legum, ac iudiciorum in-  
struxit. Sed qui postea ad id muneris lecti  
sunt, alij alijs doctrinam, rationemque be-  
ne gerendæ reipublicæ acceperunt. Tu si  
quereris non dari nobis id, quod datum  
est Ecclesiæ principibus, pastoribusque po-  
pulorum, de eo quodque querere, non crea-  
ri modo homines diuinarum, & humana-  
rum rerum cognitione præditos, qualis est  
creatus Adam. Confirma æquum esse ut  
homo cum primum est editus in lucem  
virili sit magnitudine, & facultate, nec nu-  
tricis adminiculo indigeat, sed liberos sta-  
tim tollat, quod hæc concessa fuerint pri-  
mo parenti.

Sed initia ut dixi, semper Deus perfecta  
facit, cætera non statim, sed paulatim eo  
perueniunt. Et tamen patribus præterea,  
quæ à maioribus suis acceperant, multa  
Spiritus Sanctus, & magna donauit, cum  
eorum humilitate, & sanctimonia, & ora-  
tione permotus: tum quod multa, quæ  
I 2 nostra

nostra scire referebat, restabant in scripturis elucidanda, atq; explicanda. Non decebat autem eius, aut benignitatem, aut providentiam ut Ecclesiæ suæ deesset in rebus necessarijs.

Ad Eph. 4.

Quare ab Ecclesiæ exordijs, *Quosdam quidem* (vti Paulus ait) *dedit Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in adificationem corporis Christi.*

Ad Eph. 4.

Quoniam autem Apostolos, & prophetas, & Evangelistas iam diu habebamus, hos patres nobis dedit pastores, & doctores, ut eos sequamur, ac in eorum doctrina acquiescamus. Sed non est abbreviata manus Domini, nec desinet dare, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Cupere autem sine horum præsidio scripturæ sensus pernoscere, id verò esset spectare ut iterum Spiritus Sanctus igneis linguis descenderet. Ne demus  
igi-

igitur operam linguarum peritiæ, quoniam eæ vno die omnes Apostolis donatæ sunt. Postquam Deus ad illa scripturarum abdita lustranda, & cognoscenda duces, & præceptores dedit, eò per te ipsum irrumperere velle temerarium est, nec ingenium tuum tentas, sed Dominum tuum. Quare si pergas, docuit me iam magister meus ita respondere, *Scriptum est non tentabis Dominum Deum tuum.*

Ac ne hoc nouum, & ficticium putes, audi Petri Apostoli verba in secundo recognitionum Clementis, *Solent ista O Simon absurda aduersum Deum meditari hi, qui legem non magistris tradentibus legunt, sed semetipsos doctores habent, & putant se intelligere posse legem, quam sibi non exposuit ille qui à magistro didicerit.* Nec non in decimo eiusdem, *Multas ut video ingeniosi homines ex his, quæ legunt verisimilitudines capiunt, & ideo diligenter obseruandum est, ut lex Dei cum legitur, non secundum proprii ingenij intelligentiã legatur.* Et Paulò post, *Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere scrip-*

vide Clementis  
recognitionum  
lib. 2. cap. 1.  
Matth. 23. 10.  
Ex Deut. 10.  
Clem. lib. 2.

Clem. lib. 2.  
recognitionum.

Cleme. lib.  
10. recogni-  
tionum.

turarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat, ut & ipse possit ea quæ rectè suscepit competenter asserere.

Vide Claudium espenceum in Appendice commentum in epistolam ad Titum de electo libro rum suspectorum. Clem. epistolam.

Quæ Petri verba ipse postea Clemens in Epistolam suam quintam ad Hierosolimitanos transcripsit. Potes hoc facile perspicere in Photino, in Apollinari, in Origene, in Nestorio, qui quandiu cum scriptura Ecclesiæ traditiones, veterumq; sensum tenuerunt, magnum sanctitatis, & eruditionis lumen prætulērunt: ut ceperunt autem scripturas suo sensu interpretari, pestilentissimarum sectarum auctores extiterunt.

Vincent. Lirinensis lib. contra Hæreses.

De Origene quidem ita scribit Vincentius Lirinensis in libro contra Hæreses, antiquus sanè, & præclarus auctor, Hic idem Origenes tantus, ac talis, dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibiq; satis credit, dum parui pendit antiquam Christiana religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere presumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnēs quedam scrip-



*scripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit ut de se quoque in Ecclesia diceretur, Non audies verba propheta illius, quia tentat vos Dominus Deus vester utrum diligatis eum, an non?* Deut. 13.

Sed miror te quidem hominem (ut tibi videris) valde doctum, & in scripturis exercitatum, qui earum nobis inscitiam, & incuriam obijcis, putare hoc ex Pontificum canonibus desumptum, quod de proprijs sensus interpretatione fugienda dicimus: quasi verò non sit id ab Spiritu Sancto dictum, *Hoc primum intelligentes quòd omnis prophetia propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* 1. Petri. 2.

In eadem etiam erroris naue fuere Arius, Nestorius, Eutiches, Dioscorus, ut septima synodo actione prima Anathematisimo septimo Basilius ipse fatetur. De Ariocentè eiusq; discipulis habemus testem Alexandrum Alexēdriæ Episcopum, lib. 1. hystorię tripartitæ, cap. 14. Nestorius autem dum eloquens fuisset, & se putaret doctum

libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere, omnibusq; se meliorem putabat esse, vt libr. 12. historię tripartitę, cap. 4. refertur. Eadem etiam via ingressus est Paulus Samotensis Eusebio auctore lib. 7. Ecclesiasticę historię, cap. 26. Seueriani quoque eadem via ingressi sunt, vt idem Eusebius libro quarto Ecclesiasticę historię capite vigesimo sexto testatur. Hanc eandem sententiam tenuit Vuiclefusus apud Thomam Vualdensen libro doct. Fr. Anti, doct. 3. eandem quoque Petrus Abailardus tenuit in ipso statim suarum disputationum exordio vt auctor est diuus Bernardus in epistola ad Innocentium, num. 190. Ecclesiasticorum doctorum, inquit Bernardus, vnā omnium de hac re Petrus Abailardus dicit esse sententiam & ipsam ponit ac spernit, & gloriatur se habere meliorem, non veritus contra præceptum sapientis transgredi terminos antiquos quos posuerunt patres nostri.

Declaratur  
quid sit pro  
posu scrip  
turam inter  
pretari.

Sed omittamus iam Lutherum (quem malitia sua excæcauit) & alios similes eius

videamurque quid sit proprio sensu interpretari, quod est ignoratum, aut (ut potius credo) dissimulatum ab illo. Omnino proprio sensu interpretatur scripturam, qui ex ea novos sensus, & inauditos elicit, abhorrentes ab Ecclesiæ, veterumque traditione. Quod ut vitaretur sequenda esse diximus vestigia maiorum, ut Dominus quodque admonet, cum per Mosem ait, *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Et per Salomonem: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

Deut. 32.

Prover. 22.

Est autem quiddam quod audaces, & confidentes homines ad proprii sensus interpretationem vehementer impellit, quod prius quam sacras literas adeant, aut dum in ijs versantur, nonnulla errore confingunt, quæ ut probent, eas depravant, & quasi inuitas ad suum sensum trahunt: de quo ita aiunt locis dudum indicatis Petrus, & Clemens, *Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ*

Clem. II. 10  
recognit &  
epist. 61

possunt trahi ad eum sensum, quē sibi unusquisq; spontē præsumpsit, sed non oportet. Non enim sensum quem extrinsecus adulteretis, alienum, aut extraneum debetis querere, aut quoquo modo ipsum scripturarum auctoritate confirmare, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis.

Et beatus Hilarius in primo de Trinitate, sic ait, Optimus enim lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius quā imponat, & retulerit magis quā attulerit, neq; cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum, Sed quo magis hominis impudentiam admiremini, hunc locum pro te Lutherus adducit, quasi verò referri germanus ex scriptura sensus possit si veterū scripta repudientur, aut id alios facere veta ret, quod magno cum fructu ipse fecisset.

Scriptores  
moderni e-  
tā videndi

Nec ex dictis, studiosorum quodam modo frangere diligentiam, & industriā, ac præstantium ingeniorum motus retardare desideramus, nec volumus ut vetera tantū repetenda sint, & nihil nouum, atq; inauditum excogitetur. Minimè (inquā)  
nam

nam qui post antiquorum patrum tempora scripserunt, nonnulla elegantissimè explanarunt, quæ non fuerant satis ab ipsis explicata, & Spiritus ubi vult spirat, reuelatq; paruulis multa quotidie in scriptura, quæ veteres magnopere laudassent.

Ioan. 3.

Sed cum scripturæ locus nouo modo exponitur, non est continuò reprehendenda expositio quòd noua sit, sed est querendum an noua sit doctrina quam continet? an sit contra expositiones Patrum? Nouus sensus qui non aduersetur veteribus, sed cum fide & cum pietate congruat, laudandus est, & amplectendus, noua doctrina non est ferenda, sed vitanda. Quòd niam quæ christiana veritas docet antiquissima sunt, & quod à vetustate discrepat, id quòque profectò discrepat à veritate.

Quid videndum sit in nouis explanationibus scripturæ.

Nec enim frustra monet vas electionis, *O Timothee, deuota profanas vocum nouitates.* Illa ergo est proprii sensus interpretatio, quæ doctrinam affert nouam, & inusitatam in Ecclesia. Nam quæ noua est expositio, si cum Ecclesiæ, patrùmque de-

1. Timot. 6.

cre-



Bern. in fine  
homi. super  
missus est.

cretis consentiat, vetus nominanda est,  
quia veterem veritatem confirmat, & cō-  
probat. Vnde Bernardus in fine homilia-  
rū super, Missus est, *Si quid dictum est post  
patres, quod non sit contra patres, nec pa-  
tribus arbitror, nec cuiquam displicere  
debere.*

Set vt in literali, ita etiam in spiritali  
sensu est multorum, maximèq; quorundā  
concionatorum coercenda licentia, qui  
proprio sensu, allegorias, & tropologias  
absurdas comminiscuntur, nimisq; violen-  
tas. Est enim scriptura hæc augusta, & san-  
cta, & hic est illi honos habendus, vt inge-  
niis nostris non indulgeamus, nec tēmere  
quidquam in ea conflagamus, sed maturè  
& parcè, & consentaneè exponatur,  
in consummationem sancto-  
rum, in ædificationem cor-  
poris Christi.

(.?.)

## CAPVT. IX.

*Decognitione sensuum scripturae sacrae, quae  
propria concionatoris est: deq; pra-  
ceptis ed eam intelli-  
gendam.*



ED NE concionatori nostro  
aliquid desit ad perfectam  
scripturae intelligentiam, quod  
proprium sui est, & quam obs-  
curissimam esse confessi su-  
mus, omnemq; suam operam in ea versari  
debere: non erit profecto dignum praeter-  
mittere in hoc tractatello, aliquam cog-  
nitionem de multiplicitate sensuum scriptu-  
rae sacrae exponere. Quae res licet ab aliqui-  
bus late tractata sit, profiteor ea tantum-  
modo hic afferenda, quae magis necessaria  
videbuntur: eademq; dispersa colligam, &  
perspicuitate orationis illustrabo, in ordi-  
nemque naturae redigam, rebusque ipsis  
etiam discantibus consentaneum: quod  
fortasse nemini curae, & tam maxima bre-  
uitate ita fuisse video.

Testamentū  
vetus quid  
contineat.

Omnes sacri libri, vel ad vetus testamentum pertinent, vel ad nouum, hoc ab Apostolis, & Euangelistis, illud à Mose, & prophetis scriptum est: vetus conditionē habet mundi, primorum hominum mores, & etates, diluuium, vocationem Abrahami, promissiones, electi populi initia, progressiones, incrementa, ceremonias, iudicia, leges, Imperatores, Reges, vitia, calamitates, prædictiones, & reprehensiones prophetarum.

Testamentū  
nouū, quid

Nouo Christi Saluatoris vita, & præcepta, res gestæ Apostolorum, nouæ ab eis explicatæ quæstiones, cohortationes, prophetiæq; continentur.

Sed quæcūq; in veteri testamento gesta narrantur, ea Deus immensa sua sapientia signa esse voluit rerum in Christo, & in eius membris, ac deniq; in nouo testamento gerendarum. Quod (vt scitis) sæpè est à Paulo animaduersum, in priori ad Corinthios: cum multa de veteri historia commemorasset, addit, *Hæc autem in figura contingebant illis.* Nec tantum res gestæ, sed etiam ceremoniæ, & sacrificia, vnde illud,

1. Cor. 10.

Iud. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in <sup>Ad Collos. 2.</sup>  
 potu, aut in parte diei festi, aut Neomenia,  
 aut sabbathorum, quæ sunt umbra futuro-  
 rum, corpus autem Christi.

Est enim vetus nihil aliud quam occul-  
 ratio noui, & nouum libera quædam, & di-  
 lucida veteris explicatio. vt ait Augustinus  
 in: 16. de ciuitate Dei, cap. 26. Ex quo pro- <sup>Aug. lib. 16.  
de ciuit. Dei  
c. 26.</sup>  
 dicitur insanissimus error Manichæorum,  
 qui cum amplecterentur nouum, vetus  
 ipsum repudiabant.

Itaq; in sacra scriptura (vt in alijs) ver-  
 ba res significat, sed res præterea ipsæ alia-  
 rum rerum notæ sunt, quod in nulla alia  
 videmus. Quod in, 20. lib. moralium, cap.  
 1. eruditè adnotat Gregorius, *Sacra*, in-  
 quit, *scriptura*, vt de rerum pondere taceat, <sup>Greg. lib. 20.  
Moral. ca. 1.</sup>  
*scientias omnes atq; doctrinas ipso etiam*  
*locutionis suæ more transcendit, quia vno,*  
*eodemq; sermone dum narrat gestum pro-*  
*dit mysterium, & sic scit præterita dicere, vt*  
*eo ipso nouerit futura prædicare, & non im-*  
*mutato dicendi ordine eisdem ipsis sermo-*  
*nibus nouit & ante acta describere, & agē-*  
*dia nuntiare.*

Nec verosimile est quod de poetis obijci posset, etiam eos illis fabularum integumentis res magnas, & vtilis tegere solere. Nā quæ poetæ narrant, aut non sunt gesta, aut certè non vt ipsi aiunt, aut si ita omnino euenerunt, non fuerunt illa facta ad res alias significandas, sed similitudo considerata effecit vt ex alijs alia quodammodo intelligi possent.

At in nostris alia est ratio: vt enim homines (quia ipsi nomina fingeant) quascunq; voces ad res quasque signandas accommodare potuerunt, vt hoc elementum quod calcamus terrā potius appellarent, quam aquam, illud aquam potius quam terram, non similitudine, sed voluntate.

Ita Deus rerum omnium conditor auctoritate, & potestate sua fecit, vt res quædam fierent, ad alias exprimendas, & notandas, quamuis non esset eiusmodi similitudo, vt intelligi, Deo non interpretante, ab homine posset, *Vetuit agni ossa minui, id factum est vt portēderetur Christi ossa non esse in cruce frangenda*, Hæc inter agnum, & Christum, inter cænam illā

Exod. 12.

Iuan 19.

&amp; mor-



& mortem similitudo non potuit à natura mortali sine Deo comprehendere.

Sensus literalis, & spiritualis in sacra scrip.

Eam ob causam sacra scriptura duos sensus habet, historicum, qui literalis dicitur, & spiritualem, qui etiam mysticus nominatur.

Hi historicus quid sit,

Sensus historicus est non quidem quem verba propriè significant, nam in metaphoris falsum id esse deprehenditur, ut cum brachium, aut manus Dei dicitur, sed quem verba declarant, siue propriè accipiantur, siue figuram aliquam habeant, quæ sæpè (ut dicemus) in sacris literis cernitur.

Sensus spiritualis.

Spiritualis autem est non quem verba, sed quem res exprimunt, quarum illa verba sunt signa: historicus sensus illorum verborum, *Os non confringetis ex eo*, ad agnū pertinet qui immolabatur, quia id verba ipsa significant: sed quoniam Deus agnū immolari voluit, ut beatam illam Christi mortem, & humanæ salutis effectricem designaret: spiritualis sensus est cum ad Christum Dominum nostrum refertur.

Ex quo intelligitur nulla esse verba in scriptura (quamuis dura nescienti, & absurda videantur) quæ sensu careant historico: esset enim inane adhibere voces, quibus nulla subiecta esset sententia. In quo multum à minutis quibusdam concionatoribus peccatur, qui cum in verba incidunt non bene cohærentia, clamant è vestigio spirituales sensum esse querendum, quæ si verò frustra illa verba sint posita, aut sine historico sensu constare spiritualis queat. Nam si spiritualis est, quem res verbis significatæ declarant, quid est manifestius, quam oportere ut voces res quasdam significant, qui est sensus historicus? Quòd igitur interdum negant patres literalem sensum alicubi quæri debere, hoc dum taxat subindicant, non esse eum literalem sensum quem primo aspectu verba præferunt.

Hæc diuisio sensuum, atq; hæc nominum ratio, ut alter literalis nuncupetur, spiritualis alter, ab ipsa scriptura inuenta, & tradita videtur. Nam ea id quod voces indicant literalem appellat, quod autem

in rebus signatur, spiritum: vt ad Romanos insinuat Paulus, *Et circumcisio cordis in spiritu, non litera.* Et in Apocalypsi, *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magna, quæ vocatur spiritualiter Sodoma.*

Ad Rom. 2.

Apocal. 18.

Sed literalis historicus dicitur, quia in veteris testamenti historijs præcipue cernitur quid inter hos duos sensus intersit, dum voces rem gestam narrant, quod est historiæ & simul, vt ait Gregorius proditur mysterium, id est, aliquid occultum ex historica narratione intelligendum notatur. Ex quo effectum est etiã vt spiritualis sensus, quia absconditus est, & in eo mysterium proditur: mysticus dicatur. Et quãuis elegantius dicatur historicus quàm literalis, tamèn quia historicus ad solam historiam propriè attinet, libentius nos quidem literalem appellabimus, & quòd latius manet, & quòd nobis ab scriptura ipsa commendatum est hoc nomen.

Sed quoniam hæc scriptura habet admirabilem, & incomparabilem altitudinem, cum diuina quadam maiestate coniunctam in rebus gestis, hoc est in ijs quæ

verbis significantur, aliquando notatur, ac significatur aliquid quo mores nostri conformantur, vt Paulus docet ad Romanos, 15. cum ait, *Quaecunq; autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarū spem habeamus.* Et, 1. Corinthiorū cap. 10. *Hec autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, nec idolatra efficiamini, sicut quidam ex illis.*

Aliquādo significatur aliquid futurum in nouo testamento, aut in suprema illa sempiternaq; felicitate. In nouo testamēto, *Vt sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Et Matthæi, 12. *Sicut fuit Ionas in ventre cati tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis, in corde terra tribus diebus, & tribus noctibus.* Quibus verbis ostendit Dominus exaltationem serpentis, & Ionæ prophetae naufragium, ac liberationem, mortem suam, & sepulchrum, & resurrectionem prænuntiasse. Atq; idēdō lex vetus appellatur vmbra, & quia cum

vmbra

ad Rom. 15.  
Ad Rem. 15.

1. Cor. 10.

Ioan. 3.

Matth. 12.

umbram videmus corpus aliquod in proxi- Ad Colos. 2.  
 mo esse intelligimus. ut Paulus ad Colof-  
 senses, 2. *Quæ sunt umbra futurorum, cor-  
 pus autem Christi.* Hoc est Christus est cor-  
 pus quod umbra hæc prope esse signabat:  
 & quia umbra à pictoribus dicitur rudis  
 quædam, & inchoata pictura, quæ, cum  
 est elaborata, atque perfecta, imago no-  
 minatur, vnde eleganter Apostolus ad He- ad Hebræ:  
10.  
 bræos, *Umbra enim habens lex futuro-  
 rum bonorum non ipsam imaginem rerum.*  
 Atque hæc ipsa umbra est quæ à Græcis  
 eypus, à nostris figura vocatur, quod sæpi-  
 simè in Aristotele cernetis. Nam cum  
 rem adumbrat, & leuiter summamque  
 depingit, nec perfectam formam expri-  
 mit, ut in primo ethicorum ad Nicoma-  
 chum his verbis ait, *Bonorum igitur ip-  
 sum ita circumscriptum sit, oportet enim  
 fortasse prius figurare, deinde postea de-  
 pingere.* Quod quidem nomen iure vete-  
 ri legi tributum est, quoniam erat tantum  
 significatio quædam, & adumbratio fu-  
 turorum.

Ad futuram felicitatis significationē



spectant multa, quæ de terra illa dicuntur  
quam promisit Deus Israelitis, & præfer-  
tim de Hierusalem, erat enim hæc terra  
imperfecta quædam imago terræ viuen-  
tium, in qua bona Domini videntur. Sed  
significatio rerum in Christo, & in eius  
membris futurarum in veteri testamento  
reperitur, quæ verò de cœlesti patria rebus  
ipsis prænuntiantur, in nouo etiam inue-  
nimus. Nam vt vetus illud testamentum  
figura erat noui ita huius status, atq; con-  
ditio vmbra est futuræ foelicitatis: quam-  
quam multa in nouo testamento narran-  
tur quæ (quoniam ita sancti patres expli-  
cant) non dubito equidem facta esse vt  
mysteria gratiæ morumq; doctrinam sig-  
nificarent.

Effecit hæc multiplex rerum significa-  
tio, maioris explicationis causa, vt sensus  
spiritualis trifariam diuideretur: in tropo-  
logicum, in allegoricum, in anagogicum,  
siue (quod est idem) in tropologiam, in al-  
legoriam, in anagogē. Tropologicus dici-  
tur, atq; moralis, qui in morum confirma-  
tione versatur.

Sensus spi-  
ritualis. di-  
uiditur tri-  
pliciter.

Tropologi-  
cus.

Alle-

Allegoricus qui in significandis rebus  
nouit testamenti.

Allegoricus

Anagogicus qui futura in patria in-  
dicat.

Anagogicus

Itaq; cum literali quatuor iam sensus,  
sive exponendi rationes habemus, quos  
Augustinus in, 1. de genesi ad literam his  
verbis enumerat, *In libris autem omnibus*  
*sanctis intueri oportet, quae ibi aeterna inti-*  
*mentur, quae agenda precipiantur, vel mo-*  
*neantur.* Gregorius in prooemio, 1. lib.  
Regum, sic: *Nā omnes scriptores eius pro-*  
*pheta fuisse referuntur, qui cum historica*  
*narrant, spiritualia signant, exteriora lo-*  
*quuntur, & intima innuunt, terrena pro-*  
*ponunt, ut caelestia exequantur,* Beda in  
initio Genes, *Quatuor sunt sensus sacra-*  
*scripturae, historia, quae res gestas loquitur,*  
*allegoria, in qua aliud ex alio intelligitur,*  
*tropologia, ut moralis locutio in qua de mo-*  
*ribus ordinandis tractatur, anagogia per*  
*quam de summis, & caelestibus tractatur,*  
*ad superiora ue ducimur.*

Aug. lib. 1.  
de genesi ad  
litarum. c. 1.

Greg. in pro  
hem. lib. 1.  
regum.

Beda in ini-  
tio Genes.

Atque in hanc sententiam ierunt qui  
post eorum tempora scripserunt ut diuus

S. Tho. 1. p.  
q. 1. ar. 10. &  
Quodlib. 7.  
art. 15.

Thomas, 1. p. quæst. 1. art. 10. & quodlibe-  
to, 7. art. 15. ac deniq; omnes recentiores,  
exempla omnium nomen vnum suppedit-  
tat, Hierusalem, historico sensu terrenam  
ciuitatem significat, allegorico Ecclesiā,  
Tropologico cuiuscumq; fidelis animam,  
Anagogico beatitudinem coelestem, in  
qua est visio pacis.

Aug. lib. 15.  
de trinit. c.  
9.

Aug. lib. 15.  
de trinit. c.  
9.

Allegoria  
duplex.

Vna in facti

Sed vt hæc melius explicemus, & vt ne-  
mo vocis ambiguitate fallatur, diligenter  
est primo adnotandum ex diuo Augusti-  
no decimo quinto de Trinitate, capite  
noueno, allegoriam in dictis & in factis  
inueniri in factis quidem cū ea quæ fac-  
ta narrantur signa sunt rerum in noua le-  
ge futurarum, quod est egregiè ab Apof-  
tolo explicatum in epistola ad Galatas his  
verbis, *Dicite mihi qui sub lege vultis  
esse, legem non legistis? Scriptum est enim  
quoniam Abraham duos filios habuit,  
vnum de ancilla, & vnum de libera: sed  
qui de ancilla secundum carnem natus est,  
qui autem de libera per repromissionē: quæ  
sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt  
duo testamenta.*

Paul. ad Gal.  
cap. 4.

Paul. ad Gal.  
cap. 4.

In dictis est allegoria cū aliud verbis aliud sensu ostenditur, ex aliōq; aliud intelligitur, quale est illud in, 1. ad Thesalonicenses, cap. 5. *Igitur non dormiamus sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrii simus, qui enim dormiunt nocte dormiunt, & qui ebrii sunt nocte ebrii sunt.*

Allegoria  
Altera in  
dictis.  
1. Ad Thesal.

Est autem vna allegoria ab altera separanda, nam quæ est in factis pertinet ad sensum spiritualem, quæ vero est in dictis ad literalem: vt cū in Esaia legimus, *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hircundo accubabit, vitulus & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Intellegimus esse allegoriam, quæ est longior quædam, & continuata metaphora, significarique Barbaras & efferas nationes immanitate posita christiano populo esse adiungendas, eiusque doctoribus, atque pastoribus obsecuturas. Non ergo erit iste allegoricus, & spiritualis sensus, sed literalis, quoniā non est in factis allegoria, sed in dictis. Nec enim hæc facta sunt, vt alia ex eis futura intelligātur, sed per allegoriam lupum, pardum, leonem: pro sævis & in-

Allegorie  
ab in vicem  
sunt separa  
de  
Esaia. c. 11:

domitis gentibus accepit, agnum, hędum, ouem pro mansuetis, atque humilibus Christianis.

Et tamen auctores eiusmodi sensum aliquando mysticum, ac spirituales vocant, vt Origenes in, 4. lib. de principijs, cap. 2. quoniam est absconditus, & abstrusus, & vt spiritus corpore, ita ipse allegoria illa vocum tegitur, & latet.

Similiter non omnia quę de moribus dicuntur pertinent ad sensum moralem, qui vnus est ex spiritualibus, sed quę designantur in factis. Nam cum verba ipsa significant aliquid ad morum emendationē attinens, ille est proculdubio sensus literalis, *Vt charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci.* Eadē est anagoges ratio: multa enim de beatitudine legimus, quę sunt historico sensu accipienda, quia eam voces ostendunt, atque indicant, nō spirituali, vt, *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.*

Secundo animaduertere oportet communem hanc, & latē patentem sensuum

Orig. lib. 4.  
de Principijs.  
cap. 2.

Ad Hebr. 13  
1. Ioan. 3.



tributionem sæpè ab auctoribus in pauciora membra redigi solere, non quòd nō sit in scriptura quadruplex hæc exponendi ratio, sed quòd sub vno membro multa intelliguntur. Origenes in, 4. de principijs cap. 2. confirmat scripturam, vt hominem, constare ex corpore, & anima, & spiritu. In corpore literalem sensum intelligit, in anima, vt mihi quidem videtur, allegoricum & tropologicum, in spiritu anagogicum,

Orig. lib. 4.  
de Principijs cap. 2.

Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæstione, 12. & in commentarijs in Ezechielem, cap. 16. nihil ab Origene discrepat, adducit enim ex prouerbijs locum, quo ille triplicem esse expositionem scripturæ confirmabat, qui ita habet, *Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus, & scientia, vt astenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te. Triplex, inquit, in corde nostro descriptio & regula scripturarum est. Prima, vt intelligamus eas iuxta historiam. Secunda, iuxta tropologiam. Tertia, iuxta intelligentiam spiritualem. Sed non*

Hier. epist.  
ad Hedibiam,  
q. 12, tom. 3.  
& in cōm. in  
Ezech. c. 16.

Prou. 22.

est dubium in tropologia, allegoricum etiam ab eo intelligi, aut certè in spirituali intelligentia, quin pòtius aliquàndo vno allegoriæ nomine, aut tropologiæ, aut anagoges omnes sensus spirituales comprehendunt.

Aug. lib. de  
utilitate cre-  
dendi ad hon-  
oratum c.  
3.

Allegoriæ quidem vt cum Augustinus in libro de utilitate credendi ad Honoratū, cap. 3. docet, quadrifariam tradi scripturam. Secundum historiam, secundum ætiologiam (ita enim legendum est non vt in multorum libris etymologiam, aut æthiologiam) secundum analogiam, secundum allegoriam.

Quo loco tria priora membra, ad sensum literalem spectant, nam ætiologia est cum ratio dicti redditur, analogia cum vnum testamentum cum altero congruere docetur.

Greg. hom.  
40. Euang.  
Orig. hom.  
11. in Num.

Allegoria tres sensus spirituales complectitur, atq; eodem modo accepisse Gregorius videtur homilia quadragesima in euangelia. Et Origenes homilia vndecima in Numeros.

De tropologia idem in Hieronymo videmus,

demus, id nominis assidue tribuit sensui morali, vt cap. 2. & 3. in Eisaïam. In prophemia vero, 7. in eundem prophetam commentarij sine discrimine omnes sensus spirituales vocat anagogem, & tropologiam. Similiter in cap. 1. & 2. Eisaie anagoges nomine intelligit sensum moralem, in cap. 3. illum quem proprie vocamus anagogicum, in cap. 22. allegoricum.

Hier. c. 1. & 3. in Eisaïam  
& in prophemia 7. cōm.  
i. eundem prophetam

Idem Hier.  
c. 7. & 2. & 3.  
& cap. 22.

10. 3. 2. d. 11

Dēniq; nihil occurreret frequentius in Hieronymi, & vniuersorum veterum cōmentarijs, quàm hæc nominum permutatio, & variatio. Nec verò temere id fecerunt. Nam si nominum vim perspicimus, facile intelligitur rectè omnes sensus quolibet horum nominum significari, atque comprehendendi. Allegoria est figurata quædam locutio, vt ait Augustinus in, 3. de doctrina christi. cap. 11. vt Quintilian. lib. 8. c. 6. interpretatur, cū aliud sonant verba, & aliud intelligitur. Inde metaphora à verbis ad res vsurpata, quilibet sensus spiritus allegoria dici potest, quia aliud ad intelligendum admonet, quàm verba declarant.

Aug. li. 3. de doctr. Chr.  
c. 11,  
Quint. lib. 8  
cap. 6.

Aug. lib. 15.  
de trinit. c. 9

Tropologia etiam figurata locutio esse videtur, vt auctor est Augustinus, 15. de Trinitate, cap. 9. Figurata autem locutio efficit, vt alius sit intellectus, quàm voces præferunt, vt cùm ridere prata dicimus, vnde Quintilianus loco iam indicato. Tro-  
pus, inquit, est verbis vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Idem igitur de allegoria, & tropologia dici potest. Cùm igitur sensus spiritualis omnis ab humilitate literæ ad altiora, & sublimiora consurgat, cùm non rectissime dicatur anagoge? Sed quia ille maximè cōsurgit, qui beatitudinem, cœlumq; attingit, meritò sibi hoc nomē præter cæteros vindicauit: verùm cùm res teneamus, nō est quod de verbis magnopere dimicemus.

Quintilian.  
lib. 8. c. 61

Aug. li. 3. de  
doctr. Chrif-  
tiana, c. 27.  
& 28. & lib.  
12. confes. c.  
18 & seqq.

Postremò nō est prætereūdum, vt sunt multi sensus spirituales, ita etiam fieri posse vt in eisdē verbis multi sint literales, quos sæpè docet Augustinus, vt lib. 3. de doctrina christiana, cap. 27. & 28. & lib. 12. confessionum, cap. 18. & sequentibus. Et lib. 13. cap. 24. Et lib. 11. de ciuitate Dei, cap.

19. quem secutus est sanctus Thomas, 1. p. quæst. 1. art. ultimo, redditq; rationē, quoniam auctor scripturæ est Deus, qui omnia simul intellectu comprehendit. Hoc ex ipsius naturæ percipi potest. Est enim sensus literalis ille, quem verba significāt, modò nihil habeat, quod aut fidei catholicæ, aut christianæ pietati aduersetur, & bene cum antecedentibus, & consequentibus cohæreat. Nec refert an id significare voluerit homo qui scripsit (quod sæpe est nobis incertum) si enim habeat ea, quæ diximus, ac præsertim, si ex alio scripturæ loco confirmari queat, aut illi ipsi qui scripsit, aut certè quidē Deo qui per eum scripsit in mentem venisse confitendum est, à quo est omnis veritas, & omnis intelligentia veritatis.

Hæc omnia tradita sunt ferè ab Augustino tum in locis indicatis, tum in, 1. de doctrina christiana, cap. 36. & in 3. cap. 10.

Cum igitur inficiabimur sensum quæpiam literalem esse, non erit satis ostendere aliter interpretari multos, nisi simul approbemus aliquid ei deesse ex dictis, aut

Aug. lib. cō  
fess. 3. ca. 4.  
& lib. 11. de  
ciuit. Dei c.  
19.  
S. Thom. 1.  
p. q. 1. ar. vlt.  
mo.

Aug. li. 1. de  
doctr. Chris-  
tiana ca. 36.  
& lib. 3. cap.  
10.



pugnare cum recepta Ecclesiæ, patrum ve  
omnium explanatione, debent enim con-  
iuncta esse omnia, vt sit literalis. Ex quo  
cōuincitur inscitia multorum, qui simul-  
atq; expositionem aliquam elegerunt, cæ-  
teras quia diuersæ sunt aspernantur, quasi  
nō valeat Deus multa eisdem verbis simul  
effari, quod homines ipsi aliquando face-  
re consueuerunt,

Genes. 1, 1,

Hoc videre licet in illis verbis, *In prin-  
cipio creauit Deus cælum, & terram.* Po-  
test enim intelligi in principio, idest, in Fi-  
lio suo, per quem fecit & sæcula, & in prin-  
cipio temporis: ita vt primum instans fue-  
rit mensura creationis, & in principio or-  
dinis, antequàm quidquam factum est.

Quid faci-  
dum; cum in  
script expo-  
sitiones in  
ter se pugna-  
tes eiusdem  
loci occurrūt

Quid autem si sint duæ eiusdem loci  
expositiones, quæ pugnent illæ quidem se-  
cum mutuo, altera q; alteram excludat, sed  
per se vtraq; nec habeat quidquam à fide,  
aut à bonis moribus alienum, & rectè cū  
adiunctis constet, ferendæ sunt ambæ, an  
altera est necessario repudianda? Ego sanè  
fieri non puto posse, vt eadem verba, non  
seorsum accepta, sed cum alijs composita,

& coniuncta sensus habeant contrarios, & repugnantes, ac æquabiliter cum fide, & cum doctrina morum consentientes. Nā quāuis sint quædam, quæ duos sensus contrarios habere possint, tamen quæ antecedunt, aut quæ consequuntur, facile adimunt illam ambiguitatem, & contrarietatem. Ergo cum in probatis auctoribus contrarias eiusdem loci expositiones videbimus, habeamus magnam rationem proprietatis verborū, inspiciamus adiuncta, non enim erit obscurum quæ sit ceteris præferenda. Quod si hæc æqua essent in omnibus, quæ magis fidem, & charitatem ædificat, eam nos anteponamus.

Ex dictis duo intelligi possunt, primum est, multipliciter sensuum spiritualium non efficere in oratione amphibologiam, quoniam non existit ex varia, ac multiplici significatione verborum, sed rerum. Nec est amphibologia cum oratio multis modis intelligi potest, dubitamusque quo maxime modo intelligi debeat, quoniam vnico tantum intelligi voluit qui scripsit. At auctor scripture Deus eiusmodi

Multipliciter sensuum spiritualium non efficit amphibologiam.

loca non hac, aut illa ratione explicari voluit, sed hac, & illa, non disunctione, sed copulatione: hoc autem nec ambiguitate efficit, & ampliore copiam, maioresq; diuitias suppeditat ad exercitationem ingeniorum, ad aduersariorum confutationem, ut enim ait Augustinus in fine primi libri de Trinitate, *Tanto fortius conuincuntur heretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos euitandos.*

Aug. in fine  
lib. 1. de tri-  
nitate.

Scriptura lo-  
ca non om-  
nia omnibus  
sensibus dic-  
tis explicari  
possunt.

Greg. in pro-  
hem. 1. lib.  
2. reg.

Secundum est, non omnem scripturæ locum his quatuor modis exponi posse, sed quædam etiam tribus, multa duobus, alia vnico: ex quo illud Gregorij in prohemio, 1. Regum, *Quamquam, inquit, alia sub vno intellectu adiuvante Domino sim expositurus, alia verò sub pluribus.* Etenim quæ scripta sunt de diuinitate, & humanitate Christi, de præceptis charitatis, deq; doctrina morum, de confutandis erroribus, de beatitudine coelestis: ea historicè dumtaxat sunt interpretanda.

Multa sunt quæ res nouæ legis significant, nec coelestia signabunt aptè ut quod scribit Apostolus, *Omnes in Moyse bapti-*

*Latifunt in nube, & in mari.* Fortasse nihil significat in cœlo.

Alia ad cœlestia pertinebunt, non ad terrestria, nonnulla nec ad hæc, nec ad illa, sed ad mores.

Est ergo studiosè inspiciendum, vtrum voces tantum, an res etiam ipsæ ad significandum viurpentur? tum rerum inter se similitudo, & propinquitas est consideranda ex ijs, quæ ab scriptura accepimus, vt iudicemus sit ne ibi allegoria? an anagoge? an tropologia? an omnes simul?

Ac (vt iam hunc de sensibus sermonem finiamus) hoc cæteros superat literalis, quod ex eo dumtaxat firma, & ad conuincendū valida argumenta sumuntur. Vnde Augustinus epistola, 48. contra Vincentium Donatistam, *Quis autem non impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat, & manifesta testimonia, quorum lumine illustratur obscura.* Et Hieronymus in commentarijs Matthæi. cap. 13. sed nunquam parabolæ, & dubia agnatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum pro-

Excellentior  
sensus lite-  
ralis.

Aug. epist.  
48. contra Vin-  
centium Do-  
natistam.

Hier. in cō-  
ment. Matt.  
c 13.

ficere. Parabolas autem, & ægnimata appellare videtur sensus spirituales, quòdnam remotiores sunt, & abstrusiores: causa huius rei est, quòd sensus spiritualis plerunq; ex similitudine rerum significantium, significatarumq; oritur, & cum res vna similis esse possit multis, si ad aliquam illarum determinatè, & definitè descendat argumentatio, inciditur in elenchum, quem Aristoteles appellat consequentis. Exempli causa, bellua quæ leonis nomine significatur, & Christum aliquando propter nonnullam similitudinem, & diabolum indicat. Si quis igitur aliquid probare velit conuenire Christo, quia leoni conuenit, infirma erit argumentatio, simulq; probari posset ea Christo, & demoni communia esse, quæ sunt ei cum leone communia: Ita enim tunc argumentamur, ac si confirmare nitamur aliquid hominem esse quòdnam animal est. Firma igitur argumenta ex sensu spirituali ijs sunt relinquenda, qui eundem spiritum habent, à quo res illæ ad significandum assumptæ sunt, vident enim quam similitudinem Deus in re vtrâ

quæ



que perspexerit, & ab vna ad alteram in illa similitudine argumenta desumunt: quod Apostoli, & Euangelistæ sæpenumero faciunt, ea re huiusmodi argumenta in illis validissima habenda sunt, in nobis non sunt firma quoniam rationem illam similitudinis ignoramus. Etenim ut ego rectè colligo hunc, quia rationis est compos, hominem dici debere, quoniam scio auctores vocabulorum eiusmodi animal hac voce indicari voluisse. Ita Paulus firmissimè concludit testamenti veteris homines in quadam seruitute vixisse, quoniam Spiritu Sancto plenus scit Ismaëlem notam, ac signum eius testamenti fuisse, què ancillæ filium fuisse constat.

Paul. Rom. 2.  
in iudicio  
in iudicio

Ad Gal. 4.

Genes. 16.

Nec ideo aliquid auctoritati, dignitatiq; scripturæ detrahatur, quod sensus spiritualis non est aptus ad conuincendum, nihil enim ille continet, quod non alijs locis fuerit significatum historicè. Vnde Augustinus in, 2. de doctrina Christiana, cap. 6. sic ait, *Nihil ferè de obscuritatibus sacræ scripturæ eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.*

Aug. lib. 2.  
de doctrina  
Christi c. 6.

Paul Burg,  
in initio ad  
dictionum,

Sed si multi sint sensus literales, nū omnes ad conuincendum valebunt? Paulus Episcopus Burgenſis in initio additionum negat, quòniā, inquit, argueretur à diſiunctiua ad alteram partem. Mihi quidem eius ſententia non probatur. Nam aut ex omnibus argumenta ducerentur, aut ex nullo. Eſt igitur primū ostendendum quemlibet ex illis ſenſibus literalem eſſe, eo enim conſtituto quid erit quod illi vim adimat ad faciendam fidem? Nec tunc ex diſiunctione argumentamur, ſed ex coniunctione, quia locus non habet hunc ſenſum, vel illum, ſed hunc, & illum.

## CAPVT. X.

*An ſit neceſſaria cognitio hiftoria, geographia, aſtrologia, arithmetica, muſica, geometria, literarumq; humanarum ad perfectum concionatorem?*

**S**ED Reſtat etiam noſtro concionatori non voluptatis modo ſolū, ſed etiam neceſſitatis, vt hiftorias teſtes temporum,

magistris vitæ, nuntias vetustatis, studiose legat, non eas tantum quæ ab Iosepho, Eusebio, Nicephoròq; & alijs de rebus Ecclesiasticis scripta sunt, sed eas quòq; quæ ad res Græcorum, & Romanorum, & nostras pertinere videbuntur. Nam præterquam quòd antiquitatem ignorare, est semper esse pueros (vt apud Platonem sacerdos ille Ægyptius significauit olim) cognitio historie tam ethnicæ, quam Iudaicæ necessaria admodum est, si intelligēdi sunt rectè nonnulli libri, qui aut vix, aut nullo modo cognosci possunt sine ea, vt libri Danielis, Machabeorum. Et huiusmodi non pauca occurrunt in cæteris prophetis, vt adnotauit Hieronymus in commentarijs epistolæ Pauli ad Galatas, cap. 3. in principio. Et Augustinus lib. 2. de doctrina christiana, cap. 28. qui sic ait, *Quid quid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia plurimum nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos: nam & per Olimpiadas, & per Cōsulum nomina multa sæpè queruntur à nobis, & ignorantia consulatus quo natus*

Plato in Timæo.

Hier. in comment. epist. ad Gal. ca. 3.

Aug. lib. 2. de doctrina Christ. c. 28.

est Dominus, & quo passus est nonnullos  
coegit errare, ut putarent quadraginta  
sex annorum atale passum esse Dominum,  
quia per tot annos edificatum esse templum  
dictum est à Iudæis, quod imaginem Domi-  
nici corporis habebat, & annorum quidem  
fere triginta baptizatum esse retinemus  
auctoritate euangelica. Sed postea quot an-  
nos in hac vita egerit, quanquam textu ip-  
so actionum eius animaduerti possit, ta-  
men nè aliunde caligo dubitationis oria-  
tur, de historia gentium collata cum euan-  
gelio, liquidius, certiusque colligitur. Et  
paulò post. De utilitate autem historia,  
ut omittam Græcos, quantam noster Am-  
brosius questionem soluit calumniantibus  
Platonis lectoribus, & dilectoribus qui  
dicere ausi sunt omnes Domini nostri Je-  
su Christi sententias quas mirari & præ-  
dicare coguntur, de Platonis libris eum  
didicisse, quoniam longe ante aduentum  
humanum Domini Platonem fuisse ne-  
gari non potest. Nonne memoratus E-  
piscopus considerata historia gentium  
cum Platonem reperisset Hierennia pro-  
phe-

phetæ temporibus profectum fuisse in  
Egyptum, vbi tunc ille propheta erat,  
probabilius esse ostendit, quod Plato po-  
tius nostris literis per Hieremiam fuerit  
imbutus, vt illa posset docere, vel scribere  
quæ iure laudantur?

Quod etiam Ambrosius libro sexto  
commentariorum in Euangelium Lucae  
confirmat, dicens, Sed non statim per cru-  
cem possunt aliqui credere salutem mundo  
refusam. Astrue ergo per historias Græco-  
rum hoc fuisse probabile, sicut interdum e-  
tiā Apostolus suadet incredulis, nec versus  
poëticos refugit, vt fabulas destruat poeta-  
rum. Si enim reuocetur in memoriam quod  
legiones sæpè, & magnos populos oblatris  
aliquorum mortibus historia Græcorū asse-  
rant liberatos, si recordetur quod Impera-  
toris filia propter Græcorū exercitus trans-  
ferendos, ad sacrificia sit vocata, si nos-  
trum illud cōsideremus, quia sanguis tau-  
rorum, & hircorum, & cinis vitulae as-  
persus inquinatos sanctificat ad carnem  
emundandam, sicut ad Hebræos scriptum  
est, si pestilentia regionum aliquibus ho-

Ambr. lib. 6  
comm. in E-  
uangel. luc. in  
c. 9. propa-  
nem.

Valer. Max.  
lib. 3. c. 6.

Ad Rom.



minum contracta peccatis, unius alicuius morte asseritur esse soluta, quod aut relatione praevaluit, aut dispositione conualuit, quò facilius in crucem Domini crederetur, proclive erit ut qui sua negare non possunt, nostra confirmant.

Hier. in præ  
fat. comm.  
in Dan.

Vnde Hieronymus in prefatione cōmentariorum in Daniele, sic ait, *Ad intelligendum scripturas, præcipue extremas partes Danielis, multiplex Græcorum, & Latinorum historia necessaria est. Suctōrij videlicet Callinici, Diodori, Hieronymi, Polibij, Posidonij, Iosephi, nostriq; Liuij, & Pompeij Trogi, atq; Iustini, qui omnes extrema visionis narrant historiam, & post Alexandrum usq; ad Casarem Augustum, Siria, & Ægypti, Antiochi, & Ptolomæorū bella describunt. Et si quando cogimur literarum secularium recordari, & aliqua ex his dicere, quæ olim ommissimus, nō nostræ est voluntatis, sed, ut ita dicam, grauissimæ necessitatis, ut probemus ea, quæ à sanctis prophetis ante sæcula multa prædicta sunt, tam Græcorum quàm Latinorum, & aliarum gentium literis cōtineri.* Hæc Hieron.

Quod

Quod confirmat Cyrillus lib. 8. thesauri, cap. 2. & lib. 9. cap. 4. & 10. cap. 3. Ruffinus in initio commentariorum Osee prophetæ, Irinæus lib. 2. cap. 39.

Cyrrill. lib. 8  
thesaur, c. 2.  
& lib. 9 c. 4.  
& lib. 10. c. 3  
Ruffinus, in  
initio com.  
O see.  
Irin, lib, ca,  
39,

Præterea multa etiam ex historijs exempla fortitudinis, & temperantiæ, virtutūq; omnium, ad laudationes, & vituperationes, & ad deliberationes eruuntur, quæ in popularibus concionibus permultum valent, & mirum in modum mouent, præsertim cūm ex nostris petuntur, res variæ, & ad vsum vitæ apte cognoscuntur, ac deum iuuenes ante tempus suum illam senum experientiam, & prudentiam consequuntur. In historiæ enim disciplina heroum probantur facta, & sapientum dicta, quæ res facit, vt historia videatur quædam moralis philosophia, quæ nos vitam hominum inspicere, atq; ex ijs exempla ad omnem vitam nostram sumamus: quæ enim exempla mouent, docent, & declarant, ea omnino ex historijs sunt petenda. Quod breuiter & eleganter Gregorius Nazianzenus dixit in carmine ad Nicobulum patrem.

Greg. Nazianzen.  
carmine ad Nicobul, patrē.

*Historia plenū pectus pulcherrima res est*

*Namq̃, ea multorum mens est, ea magnus aceruus*

*Est Sophia.*

*Et idem in carmine Nicobuli patris ad filium,*

*Tempus enim historia pater est, matèr-que vicissim*

*Historia est Sophia, lenibꝯque perualat alis.*

Atq̃, id est quod Demetrius Phalereus Ptolomeum Regem admonebat, vt historias lectitaret, nam quemadmodum scientias omnes parit veritas, ita veritatem gignit historia. Fitque id circo vt nihil sit in scientiarum honore, quod non delitescat in historiæ nomine, ipsa docet in periculis quid agendum, quid vitandum, non cadere in aduersis, nèque in secundis rebus inolescere, ex ignauo facit solertem, ex stolido prudentem, ex indiserto facundum, ex fracto & abiecto fortem, ad honestum impellit, detestatur vitia, deprimit improbos, probos extollit, omnes scientias suo splendore illustrat, sapientiæ confors

Idem Greg.  
Carn. Nico-  
buli patris  
ad filium.

Encomia  
historiæ.

consors est, & comes in ea temporum auctoritas omnis est posita. Quid enim est in hoc studij genere admirabilius, quàm ut vnus homo intelligat, quod vniuersis acciderit hominibus, dat copiam dicendi, & in omni argumēto nobis ansam præbet eloquentiæ, nec fides verè fit in rebus dubijs sine exemplorum testimonijs. Nam si aliquando veritas demersa sit vi maleuolorū, atq; oppressione, erigit tamen & attollit caput sufragijs historia, cuius proprium est verū dicere, ut dicit Diodorus Siculus, & Isidorus lib. 1. Originum.

Diod. Sicul.  
Isid. lib. 1.  
Origin.

Multa plura commemorare possem de historiæ gloria, si id iam sine mea oratione satis omnibus non emineret.

Qui autem plura videre desiderat de utilitate historiæ, videat Cyprianum in libro quod idola non sunt Dij: vbi idolorū omnium vanitatem historiarum scientia, & commemoratione coarguit. Eusebium Cæsariensem, 1. lib. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 6. & 11. & lib. 2. cap. 2. & lib. 3. capite septimo, qui Iudæos, & paganos sæpè ex historijs Romanis refutat. Lucia-

Cyprian. in  
li. quod idola  
non sunt  
Dij.

Euseb. Cæs.  
sar. lib. 1. Ec-  
clesiast. c. 6  
& 11. & lib.  
2. c. 2. & lib. 3.  
cap. 7.

Lucian, Anthiochenus præbyter,

Tertull. in Apologetico, & in lib. ad Scapul. Hier. lib. 1. ad ver. Iouin.

Juol? boiG  
a. dil. bñ  
nightO

Melchior Cano Dominicus, Episcopus Canariensis li. de locis theologicis lib. 1. de humanæ historie auctoritate. ubi latissime & pereleganter de hoc agit per totum librum cuius grauis-

num præbyterum Antiochenum, virum moribus & eruditione præcipuum, qui cū gentibus de fide christiana disputans, ipsos gentium annales excitat, vt nostræ etiam fidei dogmata illorum testimonijs asserat. Tertullianum in Apologetico, qui grauis- simè ex ipsis Romanorum historijs aduersus fidei christianæ inimicos argumentatur. Et in libro ad Scapulam, multarum rerum gestarum exemplis vsus est vt persuaderet obveratos christianos multos gentilium præsides tristes exitus habuisse, diuū Hieronymum in, 1. lib. aduersus Iouinianum vbi vanas aduersus Iouinianum historias in commendationem virginitatis, castitatisq; commemorat. Et tandem videat doctissimum & grauissimum magistrum Melchiorem Cano Dominicanum Episcopum Canariensem in libro de locis theologicis lib. 1. de humanæ historie auctoritate. vbi latissime & pereleganter de hoc agit per totum librum cuius grauis- simi viri verba in, 2. cap. sunt huiusmodi, *Non ergo historia solum Ecclesiastica, sed ea etiam que ab ethnicis auctoribus scrip-*



ra, theologo contra aduersarios fidei utilis-  
sima est. Qua propter rudem esse omnino  
in historijs gentilium, aut inertissimæ seg-  
nitiae est, aut fastidij delicatissimi. Enim ve-  
rò quod commode ac prudenter non in  
concionibus dico, sed etiam in disputatio-  
nibus theologus exēpla proferat, dū quid-  
piam vel iustum esse suadet vel iniustum:  
quoniam à viris, aut probis, aut improbis  
vsurpatum est. Tertulianus, Hieronymus,  
alijq; viri grauissimi sacris offendunt, qui  
non rarò huiusmodi persuasionis gene-  
re delectantur. At exempla probabilia sine  
historiae cognitione proferri quā possunt.  
Quam late igitur historiae utilitas fusa sit,  
apparet: Siquidem quacunq; theologi in-  
gredimur, siue concionando, siue disputā-  
do, seu sacras literas exponēdo, in aliquam  
historiam vestigium ponimus. Itaq; cum  
ad has mulas res theologo peritiles sint  
historiarum libri, studiose profectò ab eo  
legendi sunt, ne turpiter in rebus ad se ma-  
ximè pertinentibus erret, eaq; ignoret,  
quae ignorari non sine imprudentia mo-  
dò, sed ne sine imperitia quidem possunt.

historia quippe (vt Cicero verissimè dixit) cum magistra vitæ est, tum lux etiam veritatis.

Geographia

Et vt persequar institutum sermonem, & quæ ad perfecti concionatoris institutionem desiderantur, cum illis, de quibus antea loquebamur, coniuncta est cognitio descriptionis terrarum, quam geographiam appellamus, & hanc ego concionatori nostro necessariam esse statuo.

Nam sunt in sacris libris plurima quæ sine huiusmodi lumine videri nō possunt, vt cum exitus Hebræorum ex Ægypto, via, bella, & ciuitatum diuisio narrantur: cum multa de Iordane, & de vicinis oppidis dicuntur: cum Pauli peregrinatio à Luca refertur, vnde soluerit, quos in portus venerit, in quas insulas, aut ciuitates appulserit. Et quemadmodum (vti Hieronymus ait) Græcorum historias magis intelligūt, qui Athenas viderint: & tertium Virgilij librum qui à Troade, per Leucatem, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad Ostia Tyberis nauigauerint: ita sacram scripturam apertius intuebitur, qui Iudæam, & antiquo-

Hier. in pro  
logo lib. Pa  
ralip:

tiquarum vrbium memorias, si non viderit, certè arte, & doctrina hominum scriptis cognouerit. Multi etiam mores gentium, multi ritus sacrificiorum, fœderum, bellorum, cognoscendi sunt. Quid dicam de situ prouinciarum, atq; vrbium, natura locorum, quæ docet geographia, de proprietatibus cuiusque prouinciæ, quas tacitè attingere solet scriptura, cum de hominibus illarum prouinciarum loquitur?

Vnde Augustinus libro. 2. de doctrina christiana, cap. 16. sic ait, *Rerum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarum vè rerum, quæ plerunq; in scripturis similitudinis aliquius gratia ponuntur.*

Quamobrè cum in omni geographiæ parte elaborandum est, tum maximè in ea quæ Palæstinam, & Iudæam regionem attingit, quarum & frequentius auctores nostri meminerunt, & copiosius. Sæpenumero etiam in libris sacris solet Spiritus Sanctus eos quibus cum loquitur, suarum prob

Histor. in  
princ. co-  
men. d. 10.  
Ad Gal.  
Ad Tit.  
Ad Ro.  
Ad Rom.  
Ad Ro.

Aug. lib. 2.  
de doctrina  
Christ. c. 16.

Hier. lib. de  
locis He-  
braicis &c.  
lib. de mor.  
te Paulæ.

Aristot. lib. 1.

Hieron. in  
 princ. 2. cō-  
 men. ad Gal.  
 Ad Gal. 3.  
 Ad Tit. 1.  
 Acto. 7.  
 Ad Rom. 1.  
 Acto. 17.

uinciarum, aut virtutibus, aut vitijs nota-  
 re. Quemadmodum grauit̃ & erudit̃ in  
 principio secundi ad Galatas commenta-  
 rij Hieronymus scriptum reliquit, *Vt cum  
 stulti, & insensati Galatae, Cretenses men-  
 daces, & pigri ventres appellantur: Iudaei  
 dura ceruice homines, & incircunciso cor-  
 de nominantur. Romanorum fides, & const-  
 antia laudatur. Atheniensium lenitas &  
 curiositas reprehenditur:* quæ omnia à  
 geographis copiosissime explicantur. Qui  
 autem terræ sanctæ cognitionem, & des-  
 criptionem intelligere desiderat, videat di-  
 uum Hieronymum, præsertim in duobus  
 libris, vnus de locis Hebraicis, & alter epis-  
 tola de morte Paulæ: qui inter reliquos  
 eminere videntur, quia regionem illam  
 non solum peragrauit, sed incoluit.

Hier. lib. de  
 locis He-  
 braicis, & e-  
 pist. de mor-  
 te Paulæ.

Astrologia.

Satis vt opinor demonstratum est, cog-  
 nitionem historiæ & geographiæ ad per-  
 fectum concionatorem pertinere.

Nunc igitur consequens est, vt breuiter  
 explicemus, an etiam Astrologiæ cog-  
 nitiō necessaria sit? Vt autem clariùs proce-  
 damus, aduertendum est cum diuo Isido-  
 ro lib.

ro lib. 3. Originum, cap. de astronomia, quod, astrologia est duplex, vna supersticiosa, quam mathematici sequuntur, qui in stellas augurantur, quiq; etiam duodecim cœli signa per singula animæ, vel corporis membra disponunt, syderumq; cursu necessitates hominum, & mores prædicere conantur, de qua in capite sequente latius agemus: altera est naturalis, de qua nunc hic agimus: & est illa quæ secundum Isidorum, exequitur solis & lunæ cursus, vel stellarum, certasq; temporum stationes: quæ astra contemplatur, & quæ cœlum suspicimus, magnitudine immensum, splendore clarissimum, ordinata varietate pulcherrimum. Quæ olim tanti habita est, vt Egyptiorum sacerdotes in astrologia potissimum excellerent, ad quos, tanquã ad mercaturam, omnis sapientiæ confer-tim ex tota Græcia summi proficiscebantur philosophi, Græciq; eam pueris primum olim proponebant, vt per eius disciplinæ gradus in arcem doctrinæ ascenderent.

Isidor. lib. 3.  
Origin.  
Astrologia  
duplex.

Isidor. lib. 3.  
Orig.

Et licet in scriptura sacra aliqua loca,

mem

M 2

quæ



Iob. 9.

Iob. 38.

quæ ad eius cognitionem expectant, reperiantur, ut est illud Iob nono, *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.* Et capite trigesimo octauo, *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* Et alia similia: ego quidem sic existimo, non adeò illam prodesse concionatori, ut sit in illa laborandum, neque immorandum: vereor enim, si tot ille artibus operam daturus sit, quæ hominis naturam, & ingenium ornant, atq; excolunt, ut vnquam concionator existat.

Quamuis negari non potest, si rectè (& ut decet) hac scientia utatur, & in ea percalluerit, aliquas, & maximas considerationes, ad hominum animos à terrenis erigendos, & ad cœlestia consideranda, & amplectenda eruet, & excipiet. Fit enim eius contemplatione animus altior, & moderatior, & in omni vitæ ratione constantior.

Quòmodo ergo fieri potest, ut qui rerum cœlestium amplitudinem, & im-

men

mensuram cogitatione peragrat, terrestriū regionum angustias admiretur? Qui cœli firmam stabilemque naturam, in omni tempore varietate considerat, aliqua rerum varietate, aut vlllo motu de mentis statu deturbetur? & qui definitos syderum cursus, & ordinatas conuersiones ad numerum cadentes, quo cœlestia mouentur, mente cernit, intelligit, vel audit, vt non facile vitæ suæ modum constituat? Diuina enim cognitio quam ex cœli contemplatione percipimus, illud nobis, quanta Dei potentia sit, quam singulari ornatu omnia distinxerit, quanta benignitate generi humano prospexerit, demonstrat: & animos ad virtutis studium incendit, dum voluptate percipit ea quæ latent obscuritate inuoluta naturæ, iam perspicua & declarata, *Et inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt à creatura mundi intellecta conspiciuntur, sempiterna quòque eius virtus, & diuinitas.*

Ad Rom. i.

Arithmetica, quæ est disciplina numerorum (vt ait diuus Isidorus libro tertio

Arithmetica.  
Isidor lib 3.  
Origin.

Originum) & quam scriptores sæcula-  
 rium literarum inter disciplinas mathe-  
 maticas ideo primam esse voluerunt, quo-  
 niam ipsa vt sit, nulla alia indiget disci-  
 plina: ita vt Pythagoras nullam esse rem  
 magis necessariam ad omnem scientiam  
 capeffendam dicat: & interrogatus ali-  
 quando Plato, cur homo animalium om-  
 nium esset sapientissimus, *Quia* (respon-  
 dit) *numerare nouit*: quod etiam aliquan-  
 do testatus est Anaxagoras. Vnde ipse Pla-  
 to numeris Pythagoricis suā illustrat phi-  
 losophiam præsertim in Timæo. Et Pytha-  
 goras omnem fere philosophiam ad nu-  
 meros traxit. Sacre vero literæ ad rationes  
 ineundas non admodum egent arithmeti-  
 ca, licet enim in scriptura memorentur  
 quidam numeri qui sine dubio multum  
 mysterij habent, vt quadragenarius ieiu-  
 nio Domini, tum etiam Mosis, & Helix  
 consecratus, quinquagenarius qui prop-  
 ter Pentecostem in honore habetur, sep-  
 tenarius qui & ipse per se multa compre-  
 hendit, & multiplicatus non paruam ha-  
 bet vim, vt cum Petrus condonare pecca-

Matth. 42.

Matth. 18.

ta fratri iubetur, non septies, sed septuagies septies. Septenario etiam numero dilectus Deo Ioannes in sua Apocalypsi Spiritus Sancti gratiam designari probat, cū enim se vidisse diceret agnum habentem cornua septem, & oculos septem, mōx exponendo subiunxit, qui sunt septem spiritus Dei, missi in vniuersam terrā. Requiectionis etiam denominationem sortitur, vt patet genesis. 2. & 7. *Requieuit Dominus ab omni opere, quod patrarat, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Et senarius qui partibus suis perfectis perfectionem mundi quadam numeri sui significatione declarat, & alij quamplurimi qui passim in sacris libris existunt, qui sine numerorum cognitione non intelliguntur, & quorum figuras non nisi huius artis scientia soluere possumus. Per numerum etiam, ne confundamur, instruimur, ita vt dicat Isidorus: *Tolle numerum in rebus omnibus & omnia pereunt.* Nec frustra etiam in laudibus Dei optimi maximi dictum sit, *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Non ideo tamen arithmet-

Apocal. 5.

Gen. 2. &amp; 7.

Isidor. lib. 3  
origin.

Sap. 11.

ticam necessariam esse contendam. Nam quid isti, & alij eiusmodi numeri significant docere ipsa non potest: est enim id hominum in sacris libris, & in patrum scriptis multis annis, summòque studio exercitorum: quod autem ipsa docere potest, in his quidem numeris est apertius quàm vt tradi à doctore debeat.

Musica. no

Et ne ab instituto cursu nostra recedat oratio, non ab re fore arbitror de musicæ disciplina etiam differere, & an ad perfectum concionatorem eius spectet cognitio, quæ iuxta diuum Isidorum libro tertio Originum, est peritia modulationis sono cantuq; consistens. Et plura in scriptura sacra nominantur, quæ ad musicam pertinent: vt per illa septem musicę instrumentorum genera quæ in ultimo psalterij David psalmo nominantur, patet.

Isido. lib. 3.  
Orig.

Psal. 150.

*Laudate eum in sono tube, laudate eum in psalterio, & cithara, laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo, laudate eum in cymbalis benesonantibus.* Et psalmo nona-



gesimo primo, in decachordo psalterio, cō  
cantico, & cithara. Et secundo libro Re-  
gum capite sexto. *David autem & om-* 2. Reg. 6.  
*nīs Israel ludebant coram Domino in om-*  
*nibus lignis fabrefactis, & citharis, & ly-*  
*ris, & tympanis & sistris, & cymbalis.* Et  
primo Regum decimo, *Et cum ingressus* 1. Regi 10:  
& 6.  
*fueris in urbem obviam habebis gregem*  
*prophetarum descendentium de excelso,*  
*& ante eos psalterium, & tympanum,* Dan. 3.  
*& tibiam, & citharam.* Et Danielis ter-  
tio, *In quacumque hora audieritis soni-*  
*tum tubæ, & fistulæ, & citharæ, Sambucæ,*  
*& psalterij, & symphoniæ, & uniuersi ge-*  
*neris musicorum cadentes adorate statuā.*  
Et alia quàm plurima, quæ in sacris repe-  
riuntur.

Dico tamen de ea quod Augustinus Aug. lib. 2.  
de doctrina  
Christi. c. 17.  
libro secundo de doctrina christiana his  
verbis ait, *Nos tamen non propter su-*  
*perstitionem prophanorum debemus musi-*  
*cam fugere, si quid utile ad intelligendas*  
*sanctas scripturas rapere potuerimus, nec*  
*ad illarum theatricas nugas conuerſi, si*  
*aliquid de citharis, & organis quod*

*ad spiritualia capiēda valeat disputemus.*

Licet enim quædam sit musica qua carnales homines vtuntur, petulans, obscœna, mollis, & effœminata, lasciua, & impura, ad libidinem, & ignauiam turpiter auocās, quæ quidem quò dulcior est, eò peius nocet, & tanquam Sirenes quædam omnibus qui aures illi præbent, perniciem, & interitum molitur, & venenum in animos influit. Viri tamen iusti timorati, & sancti, non hac musica gaudent, non impuris & lasciuis carminibus vtuntur, non sensibus, nec corpori musica indulgent, dum id faciunt, sicuti illi pessimi, & deprauati homines faciunt, ad suas voluptates ruendas, & confirmandas: sed relaxationi animi scdant, & saluti consulunt, & spiritum ad cœlestia erigunt, sicuti dicitur de beato Francisco qui socium ad lyram canentem audire querebat, vt mens, deiecta suauitate concentus, in Deum tolleretur. Quod etiā dicitur de Heliseo. 4. Regum, 3. qui psaltē sibi adduci iubet vt animus prophetiæ spiritui præparetur. Quod Dauidem quoq; habuisse & fecisse ad Dei cultum, & ad sa-

eros hymnos concinendos sacra nobis  
narrat historia. Et Augustinus. 17. de ciui-  
tate Dei, cap. 14. his verbis ait, *Erat autem  
David vir in canticis eruditus, qui har-  
moniam musicam non vulgari voluptate,  
sed fideli voluntate dilexerit, ea quæ Deo  
suo qui verus est Deus, mysticæ rei magna  
figuratione seruierit.*

Tanta enim, & tam admirabilis Musi-  
cæ dignitas est, vt dicat beatus Isidorus,  
quod sine musica nulla disciplina potest  
esse perfecta, nihil enim est sine illa. Nam  
& ipse mundus quædam harmonia sono-  
rum fertur esse compositus: & cælum  
ipsum sub harmoniæ modulatione reuol-  
uitur. Musica mouet affectus, hortatur ad  
tolerandos labores, prouocat in diuersum  
habitum sensus, animum mulcet, ingeniū  
limat, singulorum operum fatigationem  
modulatio vocis solatur, angores ex homi-  
num animis abstergit, excitos quoq; ani-  
mos musica sedat, sicut legitur de David,  
qui à spiritu immundo Saulem arte mo-  
dulationis eripuit. Nec non & serpentes,  
volucres, atq; Delphinos ad auditum suæ  
modu-

2. Reg. 6.  
Aug lib. 17.  
de ciuit. ca.  
14.  
Vnde Eccle-  
siastici 32. di-  
citur primū  
verbū diligē-  
ti sciētiā, &  
non impe-  
dias musicā  
&c. 40. vinū  
& musica le-  
tificant cor.

Isidor. lib. 3.  
Orig.

2. Reg. 16.

modulationis musica prouocauit. Sed & quidquid loquimur, vel intrinsecus venarū pulsibus cōmouemur, per musicos rythmos armoniæ virtutibus probatur esse sociatum.

Olim tanti apud Græcos musica habitata est, vt iidem musici, vates, & sapientes essent. Qua propter sapiens, qui lyra nesciret canere, sapientis apud eos spoliabatur nomine, & in artis eius studio colendo sita vitæ erat honestas omnis. Turpe enim ducebant superari à feris bestiis in eius artis amore, cuius incendio cū multæ bestię exardescunt, tū Delphin ita exæstuat musicæ desiderio, vt Arionem musicum quem canentem audierat, in mari periclicantem exceperit, atque ad Tenarum Laconia promōtorium peruexerit, vt refert Herodotus. Quamobrem Arioni musico statua cum hoc Epigrammate facta est.

*Cernis amatore, qui vexit Arionem Delphin  
A Siculo subiens pondera grata mari.*

Vndè ab eis semper musicæ ars cœlestis habitata est. Atq; id est cū opinor Orpheum

Apol-

Apollinis, & Caliope filium poetæ faciunt principem musicæ, quia tantum valuit ut (quemamodum illi fabulantur) fluuios à cursu suo reuocaret, feras bestias immanitate exueret, & sylvas ipsas suauitate cantus, post terga, quocunq; sequeretur, traheret. Nam quod fingitur Orpheus ab inferis Euridicem uxorem cantu reuocasse, id eò pertinet, opinor, ut intelligamus eam artem non vacare quadam diuinitate. Quod ipsum in Amphione testatur poetæ cum volunt (ut est in fabulis) citharæ adeo peritum fuisse ut sequentibus tantum scopulis Thebarum muros cōdiderit. De Xenocrate dicitur quod organicis modulis lymphaticos sæpè liberabat. Asclepiades cantu surdissimis medebatur, & Thales ille Cretensis, qui citharæ morbos omnes fugabat suauitate. Tantus est enim musicæ splendor, & tanta laus, ut cum mortalium admiratione semper videatur cœlum ipsum repetere. Sed tempus est iam ut ad alia transeamus.

Sed restat iam ut de Geometria dicamus, & an ad concionatorē eius cognitio

2. dil. obli  
nigra O

Ouid. lib.  
10. Metam.  
& Virg. lib.  
4. Georgi-  
con. & Abu  
lenf. super  
Euseb. tom.  
3 à cap. 169:  
vique ad.  
200.

2. R. 2. 4

Geometria

per-



Isido. lib 3.  
Origin.

pertineat? quæ quidē disciplina ab Ægyptijs reperta primum dicitur, & secundum diuum Isidorum *Est quæ per lineas & dimensiones acumine sapientum virorū producta, maris, & cœli, terra, & aeris spatia, & dimensiones metitur, cœli spatia quarit, & quanto intervallo luna à terris, & sol ipse distet, & vsq; ad verticem cœli quāta se mensura distendat.*

3. Reg. 6.

Ita olim habita est vt scriptum esset in foribus scholæ Platonis, nullus ignarus geometriæ ingrediatur. Vndè ipse in, 7. de republica scribit, *Quod geometria ad veritatem atollit animum, ad philosophiā præparat cognitionem.* Et licet aliqua loca reperiantur in sacris literis, quæ ad eius cognitionem expectant vt mensura templi in 3. lib. Regum, & in Ezechiele, & alijs in locis. Sed quòniā hæc parua sunt, & magno labore non egent, ex antiquorum patrum libris petendum est, & seorsum cuiuscumq; ratio annotanda: & nostri doctores abundè docent, & ethnicorum libris, & scriptis etiam non querentibus occurrunt.

Ergo

Ergo ut tempus alijs suppetat quæ plus habent utilitatis: præteriri hæ mathematicæ artes iam dictæ poterunt, quas ego sic existimo, ad philosophum utiliores esse, quàm ad concionatorem, & ad Aristotelis exempla, ac loca intelligenda & enodanda, quàm ad rerum naturam morumque doctrinam pernoscendam. Nam Aristoteles & Plato, ut erant id temporis homines his artibus assueti, multa scriptis suis mandauerunt, ad quæ mathematicarum artium peritia non immerito spectat.

Quanquam inficiari non possum laudem esse omnia scire, & ego neminem (dum per ætatem & otium licuerit) à mathematicis dehortabor, sed illi saltem ut primoribus labris degustet auctor ero, dummodo eam partem, quæ plena est obscuritatis, & malignitatis, non videat, nec attingat, ut latius & copiosè in capite sequente tractabimus.

Postquam iam de his artibus, iuxta ingenii nostri paupertatem, differuimus, ad literarum humanarum cognitionem calamum æquum est cōuertamus, de quibus

Literarum  
humanarum  
cognitio.

bus nullum arbitror hominem tanta feritate & immanitate præditū inueniri posse, qui quamuis literas humanas ignoret, contemnendas esse ducat.

Vndè nō vitio vertendum puto quòd subinde concionator noster in prophanis auctoribus aliquantulum versetur, atq; ad scripturæ sanctæ auctoritatem sacrosanc- tam, antiquorum ethnicorum scripta accommodet. Omnes enim docti norunt theologiæ (quæ est baculum concionatoris) cæteras artes, ac disciplinas reliquas quasi pedissequas ancillari, atq; prodesse: & si quid rari, ac eximij apud philosophos, & ethnicos huiusmodi inueniatur, tanquā ab iniustis possessoribus (spoliatis Ægyptijs) in fidei, ac religionis commodum, & obsequium esse pie vendicandum. Sicuti dicit Augustinus lib. 2. de doctrina christiana cap. 39. & 40. his verbis, *Philosophi autē qui vocantur, si qua fortè vera, & fidei nostra accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam ab iniustis possessoribus vendicanda.* Et paulò post, *Doctrina*

Aug. lib. 2.  
de doctrina  
Christ. c. 39.  
& 40.

omnes gentilium non solum simulata signē  
 ta, grauesq; sarcinas superuacanei laboris  
 habent, qua unusquisq; nostrum duce Chris-  
 to de societate gentilium exiens debet abo-  
 minari, atque deuitare: sed etiam libera-  
 les disciplinas vsui veritatis aptiores, &  
 quadam morum praecepta utilissima conti-  
 nent: deq; vno Deo colendo nonnulla vera  
 inueniuntur apud eos, quod peruersē, atq; in-  
 iuriose ad obsequia demonum abutuntur,  
 debet ab eis auferre Christianus ad usum  
 praedicandi Euangelij. Nam vt ait idem  
 Augustinus, cap. 18. eiusdē libri, Quisquis  
 bonus, verusq; Christianus est, Domini sui  
 esse intelligat ubicunque inuenerit veri-  
 tatem.

Aug. lib. 6.  
 de doctrina  
 Christ. c. 18.

Basilii in homilia ad Nepotes, quo-  
 modo ex gentilium libris proficiant, inter  
 alia haec scribit. In libris gentium veluti in  
 umbris quibusdam, & speculis oculos nos-  
 tros aliquando exercitabimus, eos imitan-  
 tes qui in gymnasijs se exercent, & manu  
 pedeq; instructi, post modum utilitatem ex  
 eius artis disciplina in legitimo certamine  
 referunt, & nobis quoq; proponi certamen

Basil. hom.  
 ad Nepotes

maximum arbitrari oportet, & omnibus  
viris ad huius preparationem laborandum.  
Insuper poetis, & oratoribus, & omnibus  
hominibus utendum, unde futura sit ali-  
qua utilitas, quæ ad animæ faciant edifi-  
cationem,

Et paulò post, Quamobrem si nostro-  
rum sermonum, ac gentilium ulla est con-  
venientia, illorum valde conferet notitia.

Vnde non mirum erit si pro oportuni-  
tate temporis gentilium poetarum versi-  
bus abutatur. Sicuti fecit & Paulus, cum  
cōcionaretur in Martis curia ad populum  
Atheniensem, afferens illud Arati, Sicut &  
quidam de vestris poetis dixerunt, Ipsius  
enim, & genus sumus. Quod est clausula  
versus heroici, & ad Corinthios de Menā-  
dri comedijs versum senarium, Corrum-  
punt bonos mores colloquia prava. Citavit  
etiam Epimenidis Cretensis poetæ versi-  
culum, Cretenses semper mendaces, mala  
bestiæ, ventres pigri, Cuius heroici hemisti-  
chium postea Callimachus vsurpavit. Sic-  
que ter prophanos facit Paulus citavit in  
suis dictis.



*Miscuit auctor enim sacris persape prophana:*

*Gratior hinc erit lectio, maior honor.*

*Nam solet in rebus, misceri, vilibus, aurum:*

*Et gravia interdum sunt moderanda iocis.*

Ac ne parum hoc esset, ductor christiani exercitus, & orator inuictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam ante torquet, in argumentum fidei. Didicerat enim à David extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Legerat in Deuteronomio Domini voce præceptum, *Mulieris captiua radendum caput, supercilia, omnes pilos, & ungues amputandos, & sic eam habendam in coniugio*: Sic prudens lector sapientiam sæcularem propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinē, de ancilla, atq; captiua Israelitidem facere cupiat, & si quidquam in ea mortuum est idolatriæ, voluptatis, erroris, libidinis, vel præcidat, vel radat, & mixtos purissimo corpori

vernaculos ex ea generet Domino Sab-  
baoth.

Hier ad Da-  
mas. epist.  
145. tom. 3.

Ita explicat hunc locum Hieronymus  
ad Damasum in expositione parabola de  
filio prodigo, dicens, *Sapientia secularis*  
*typus in Deuteronomio sub mulieris cap-*  
*tivae figura describitur, de qua divina vox*  
*praecipit, ut si Israëlites eam uxorem ha-*  
*bere voluerit caluitiem ei faciat, ungues*  
*praeceat, & pilos auferat, & cum munda*  
*fuerit effecta, transeat in victoris ample-*  
*xus. Hac si secundum literam intelligimus*  
*nonne ridicula videntur? itaque & nos fa-*  
*cere debemus, quando philosophos legimus,*  
*quando in manus nostras libri veniunt sa-*  
*pientia secularis, si quid in eis utile re-*  
*perimus, ad nostrum dogma conuertimus,*  
*si quid superfluum, de idolis, de amore,*  
*de cura saecularium rerum, hac radi-*  
*mus, his caluitium inducimus, hac in un-*  
*guium morem, ferro acutissimo defeca-*  
*mus.*

Hier. epist.  
84. ad mag-  
num orato-  
rem, tom. 2.  
epist.

Idemque doctissimus, ac verè magnus  
Hieronymus epistola octogesima quarta  
ad magnum oratorem ea de re grauissimè

& etc.

& elegantissimè scribit. Rufinus siquidem subornarat illum, vt ab Hieronymo quæreretur, cùm libris Ecclesiasticis, & in opusculis suis admisceret literas ethnicorum, & exempla eorum poneret, & candorem Ecclesiæ sordibus ethnicorum pollueret, miscerètque sacra prophanis? huic rationem reddit, ostenditque quatenus id liceat, & quorum exemplo id faciat, dicit igitur, *Quod quæris cur in opusculis nostris, secularium literarum interdum ponamus exempla, & candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus polluamus? responsum breuiter habeo. Nunquam hoc quæreretur, si scripturas sanctas legeres, quis enim nesciat & in Moyse, & in prophetarum voluminibus, quædam assumpta de gentiliū libris? & Salomonem philosophis Tyri, & nonnulla proposuisse? & aliqua respondisse? Vnde in exordio prouerbiorū cōmonet vt intelligamus versutias verborum, & obscurum sermonem, dicta sapientū, & ænigmata, quæ propriè dialecticorū & philosophorum sunt, & adfert carmina illa poetarum Arati, Menandri, & Epi-*

menidis, iam superius citata, quæ Paulus in epistolis commemorat, & quibus abutitur, in fidei argumentum, & ad mores illorum, cum quibus loquebatur, reformatos.

Ambr. lib. 3.  
de fide ad  
Gratianum  
b. 1. tom. 4.

Quod etiam confirmat diuus Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratianum Augustum cap. 1. vbi de hac re ex professo agens ita scribit *Quia Hydra nominis, & Scillæ lit-  
toris comparationem induximus, ut osten-  
deremus, vel re diuina plantaria canenda  
perfidie, vel famosa naufragia, si quis con-  
tra licitum putat colorē disputationis eius-  
modi à poeticis fabulis deriuatam, & cum  
in fide nihil quod vituperare possit inuene-  
rit, aliquid in sermone reprehendit: agnos-  
cet non solum sententias, sed etiam versicu-  
los poetarum scripturis insertos diuinis: con-  
de enim illud, Huius & genus sumus, quod  
Paulus usu prophetico doctus usurpat.  
Nam & gigantes, & vallem Titanum  
prophetici sermonis series non refugit. Et  
Esaias Sirenas, & filias passerum dixit. Et  
Hieremias de Babylone memorauit. Quod  
habitabunt in ea filie Sirenum: ut osten-  
de-*

Actor. 17.

Iudith. 16.

Esai. 13.

ret Babylonis, hoc est, secularis confusions  
 illecebras, vetustis lascivie fabulis compa-  
 randas, quæ velut scopuloso in istius vitæ  
 littore, dulcem resonare quandam, sed mor-  
 tiferam, cantilenam, ad capiendos animos  
 adolescentium, viderentur, quam sapiens  
 etiam ab ipso poeta Græco inducitur quasi  
 quibusdam prudentiæ suæ circumdatus vin-  
 culis præterisset. Hactenus diuus Ambrosius  
 gravissimus auctor, miram ac plane divi-  
 nam ambrosiam spirans.

Et ne diutius in re tam clara remorer,  
 & ad alia transeamus, qui alia multa videre  
 voluerit legat Plutarchum in libro qui  
 inscribitur, *Quo modo poetas audire opor-*  
*teat*, vbi satis luculenter hoc ostendit, Io-  
 sephum in duobus libris cōtra Appionem  
 Alexandrinum Grammaticum: vbi tanta  
 sæcularium profert testimonia, vt mihi mi-  
 raculum subeat, quomodo vir Hebræus,  
 & ab infantia sacris eruditus literis, cunctā  
 Græcorum blibliothecam euoluerit, Qua-  
 dratum Apostolorum discipulum, & Athe-  
 niensis Pontificem Ecclesiæ, qui Adriano  
 principi Eleusina sacra inuisenti, librum

Ambrosius  
 Ambrosius

Homerum  
 significat,  
 Vlysem in  
 Odyssea des-  
 cribentem.

Mellon

Plutarchi lib.  
 quomodo  
 poetas audi-  
 re oporteat,  
 Ioseph. duo-  
 bus lib. con-  
 tra Appio-  
 nem.

Quadratus  
 li pro Chris-  
 ti religio-  
 ne.



Aristides A  
Pologe.

Iustin. phi-  
losoph. &  
Mar. lib. co-  
tragen.

Melliton.

pro nostra religione tradidit, & tanta ad-  
mirationis omnibus fuit, ut persecutionē  
grauissimam illud excellens sedaret inge-  
nium, legat Aristidem philosophum elo-  
quentissimum qui eidem principi Apolo-  
geticum pro christianis obtulit, contex-  
tum philosophorū sententijs (quem imi-  
tatus postea Iustinus Antonino Pio & filijs  
eius, Senatuq; librum contra gentiles tra-  
didit defendens ignominiam crucis, & re-  
surrectionem Christi tota libertate prædi-  
cantem) Melitonem Sardanensem Episco-  
pum, Apollinarem Hierapolitanæ Eccle-  
siæ sacerdotem, Dionysium Corinthiorū  
Episcopum, Origenem qui decem scripsit  
stromateas christianorum, & philosopho-  
rum inter se sententias comparans, & om-  
nia nostræ religionis dogmata de Plato-  
ne Aristotele, Numenio, Cornutoq; con-  
firmans, Clementē Alexandrinum, & alios  
quā plurimos quos breuitatis causa omit-  
to: qui omnes in tantū philosophorū, doctri-  
nis atq; sententijs suos referunt libros, ut nes-  
cias quid in illis primū admirari debeas, e-  
ruditionē seculi, an scientiā scripturarum?

## CAPV.T. XI.

*De iudicijs astronomorum, & an huius discipline cognitio ad perfectum concionatorem spectet?*

**I**N HIS quæ hæcenus dicta sunt, vidimus iam concionatorem nostrum (cui est tantum, & tam difficile munus impositum) ornatum, & instructum esse tam magnis & maximis rebus. Nunc verò consequens est, ut videamus an illa astronomiæ pars (quam præstantissimam putant inspectis sideribus sub quibus quisq; nascitur, morum & ingeniorum, & futurarum rerum scientia, ac præsentione gloriatur: quã ut dicit Isidorus mathematici sequuntur qui in stellis augurantur, quiq; etiã duodecim signa cœli per singula animæ vel corporis membra disponunt, syderumq; cursu necessitates hominum, & mores prædicare conantur) ad concionatorem spectet? De qua ego sic statuo, non solum prætereundam esse, sed diligentissime vitandam omnibus christianis.

Isidor. lib. 3  
origin:

Conclus.

Hanc enim & eius gloria potissimum florētes Chaldaeos scriptura saepe ridet, patres verò nostri etiā conuitijs prosequuntur, atque execrantur, eius auctoritatem multis & maximis rationibus enervant ac debilitant. Et quoniam per multos memoria nostra video, qui vehementissime huius artis, aut superstitionis potius, amore capiuntur, in eaq; omnem operā ponunt, & quasi dii quidam de futuris, deq; occultis consuli volunt, proferam maiorum nostrorum optimorum hominum, & doctissimorum, de eius falsitate, & inanitate sentētiās. Aut enim ex istis nonnullos fortasse sanabimus, aut hominibus persuadebimus, ne ea ab homine quærant, quæ sciri ab homine non possunt.

Esaï. 47.

Sed videamus prius quo modo hanc vanitatem sacrae literę rideant. Apud Esaïā *Babylon* (in qua hæc maximè studia vigeant) ait Dominus, *Sapientia tua, & scientia tua hæc decepit te*: Et statim cum amara quadam irrisione, *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent, & saluent te augures cæli*, (siue vt legunt septuagin-

ta) Astrologi cæli, qui contemplabantur sydera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis conbussit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ. Et in Hieremia cap. 10. Hæc dicit Dominus, iuxta vias gentium nolite discere, et à signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vane sunt.

Hieremia  
10.

Ad hoc etiam pertinet quod est in Deuteronomio, cap. 18. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.

Deut, 18.

Et ut ad patres transeamus, Clemens indiuiduus comes, & auditor Petri, qui astrologiam nōdum baptizatus accuratissimè didicerat, ut ex eius libris intelligitur, in nono recognitionum eruditissimè, & copiosissimè disputauit, & quidem audiente Petro, aduersus istos astrologos, quos mathematicos, & genethliacos vocant, quoniam inspecta geneli cuiusq; futura se dicere posse profitentur. Is ita inquit, Igitur astrologi ignorantes huiusmodi mysteria,

Clemens lib.  
9. recogni-  
tionum, nō  
longe ab ini-  
tio.

putant stellarum cursibus ista contingere,  
unde & his qui accedunt ad eos, ut de futu-  
ris aliquid consulant, respondentes fallun-  
tur in plurimis, nec mirum, non enim sunt  
prophetae, sed usu multi tēporis auctores eo-  
rum perfugium quoddam in his quibus de-  
cipiebantur, inueniunt. Et climateras quas-  
dam introducunt, ut de rebus incertis scie-  
tiam fingant. Origenes homilia, 3. in Hie-  
remiam, Siquis vestrum, inquit, mathema-  
ticarū deliramenta sectatur, in terra Chal-  
deorum est. si quis natiuitatis diem suppu-  
tat, & varijs horarum momentorumq; ra-  
tionibus credens hoc dogma suscipit, quia  
stella taliter, & taliter figurata faciunt ho-  
mines luxuriosos, & adulteros, castos, aut  
certē quodcunq; eorum: iste in terra Chal-  
deorum est.

Ambrosius in  
4. in hexa-  
mer, cap. 4.

Ambrosius in quarto in Hexameron  
cap. 4, copiose inuehitur in Genethliacos,  
de quibus initio disputationis ita scribit.  
Deniq; nonnulli natiuitatum tentauerunt  
exprimere qualitates, qualis futurus sit  
unusquisq; qui natus sit, cum hoc non solum  
vanum, sed etiam inutile sit quarenti-  
bus



*bus, impossibile pollicentibus.*

Augustinus multis in locis verbis graui-  
 fimis, & elegantissimis euellere conatur  
 hanc ex animis hominum insaniam. Ego  
 nonnulla indicabo. Et primo in quarto  
 libro confessionum capite tertio, ignosci  
 sibi à Deo supplex petit, quod illos planeta-  
 rios, quos mathematicos vocant, cōsuluisset  
 adolescens, *Quod tamen, inquit, christi-  
 tiana, & vera pietas consequenter repellit,  
 & damnat.* Mox de Sene medico loquens  
 cuius prudentia & grauitate delectabatur,  
 hæc addit, *Vbi cognouit ex colloquio meo  
 libris genethliacorum esse me deditum,  
 benigne, ac paterne me monuit vt eos  
 abijcerem, neque curam & operam re-  
 bus utilibus necessariam, illi vanitati  
 frustra impenderem, dicens, Ita se illam  
 didicisse, vt victus eius professionem  
 primis annis ætatis sue deferre voluis-  
 set, qua vitam degeret & si Hipocra-  
 tem intellexisset, & illas vtique literas  
 potuisset intelligere. Et tamen non ob aliã  
 causam se postea illis relictis medicinã affe-  
 cutum, nisi quod eas falsissimas cōperisset,*

Aug. in lib. 4.  
 conf. c. 3. &  
 26, q. c. illos  
 Planetarios

Aug. lib. 4.  
 conf. c. 3. &  
 26, q. c. illos

Aug. in lib. 4.  
 conf. c. 3. &  
 26, q. c. illos

et nollet vir gravis decipiendis hominibus  
victum querere.

In earundem confessionum lib. 7. cap.

6. gratias Deo agit immortales quod iam  
mathematicorum fallaces diuinationes  
(ita enim ipse ait) & impia deliramēta reie-  
cerat. At in, 2. de doctrina christiana, cap.

21. hæc scribit, Neq̃ illi ab hoc genere perni-  
ciosa superstitionis segregandi sunt, qui ge-  
nethiaci, propter natalium dierum cōside-  
rationes, nunc autem vulgò mathematici  
vocantur. Nam et ipsi quamuis veram ste-  
llarum positionem, cum quisq̃ nascitur, con-  
sectentur, et aliquando etiam peruestigēt,  
tamen quod inde conantur, vel actiones  
nostras, vel actionum euēta predicere, ni-  
mis errant, et videntur imperitis hominibus  
miserabilem seruitutem. Et paulò post, in  
cap. 22. Sed ex ea ratione velle nascentium  
mores, actus, euēta predicere, magnus er-  
ror, et magna dementia est: apud eos quidē  
quitalia dediscenda didicerunt, sine vlla  
dubitatione refellitur hæc superstitio. Con-  
stellationes enim quas vocant, notatio est  
syderum quomodo se habeant cum ille nas-  
cere.

Aug. lib. 7. A  
confession. 7. 10  
cap. 6. lib. 7. p. 82  
201. 157. 158. 159

Aug. lib. 2. de doctrina  
Christi c. 21

Aug. 2. de doctr. Christi  
c. 22.

ceretur, de quo isti miseri miserioribus con-  
sulantur. Idem videre licet in, 2. lib. de Ge-  
nesi ad litteram, cap. 17. & in prioribus ca-  
pitibus, 5. lib. de ciuitate Dei, & in, 1. lib. ad  
Simplicianum quæst. 2. Et deniq; in quæst-  
tionibus noui testamenti, quæst. 63. Astro-  
logos dicit esse, *veritatis, et religionis inimi-*  
*cos*, Gregorius homilia, 10. in euāgelia ad-  
uersus hos etiam disputat.

Sed & Ioannes Damascenus, lib. 2. de  
fide Orthodoxa, cap. 7. *Gentiles* (inquit)  
*aiunt per astrorum, & solis, & luna ortū,*  
*occasum, & cōmisiones omnia dispensari,*  
*quæ apud nos fiūt, circa hæc enim astrologia*  
*versatur. Nos vero dicimus signa ex ipsis*  
*fieri imbris, & serenitatis, frigiditatis, &*  
*caliditatis, humiditatis, & siccitatis, &*  
*uentorum, et similitum, nostrorum autem*  
*actuum nequaquam, nos enim libera potes-*  
*tatis à conditore facti, domini nostrarum*  
*actionum sumus. Si enim ex astrorum latio-*  
*ne cuncta facimus, &c.* Quod si plura defi-  
deratis inuenietis nonnulla his similia in  
libro decretorum Gratiani, 26. quæst. 2. c.  
sed & illud adde & quæst. 5. eiusdem causæ

Aug. lib. 2.  
de genei ad  
lit. c. 17, & in  
5. de ciuit.  
in prioribus  
capitib. &  
in 1. lib. ad  
Simplicia-  
num q. 2. &  
in quæst. no-  
ui testamē.  
q. 63. & ho-  
mil. in psal.  
61.

Greg. hom.  
10. in Euāg.  
luæ Dama-  
sceni lib. 2. de fide  
orthodoxæ.  
c. 7.

In lib. D  
cretoru e-  
Gratian. 26.  
q. 2. c. sed &  
illud adde.  
In decreto  
26. q. 5. in  
multis cano-  
nibus.

in multis canonibus. In concilio quod primum Toleti habitum est, in calce cōciliij, hec extat factio, *Si quis astrologie, vel Mathematici existimat esse credendum anathema sit.*

Et quoniā isti (quod est christianæ pietati perniciosissimum) furta etiam occulta indicant, referam vobis Alexandri. 3. decretum ita ut est in cap. ex tuarū, de sortilegijs, *Ex tuarum tenore literarum accepimus quod. N. presbiter cum quodam infamia ad priuatum locum accessit, non ea intentione, ut vocaret demonium, sed ut inspectione astrolabij furtum cuiusdam Ecclesie posset recuperari, verum licet hoc ex bono zelo, & simplicitate se fecisse proponat, id tamen grauissimum fuit, & non modicā indē maculam peccati contraxit. Et infra, Mandamus quatenus talē ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum & amplius, si tibi visum fuerit, eum ab altaris ministerio precipias abstinere, & ex tunc liberum sit ei exercere officium sacerdotis.*

Sed quid de Ecclesiasticis patribus loquor? Audite ciuilem honori, & Arca-

Garcia de  
Loaysa de  
cōc. hi. pan.  
fol. 46.

Alexād. de-  
cretū in ca.  
ex tuarum  
de sortile-  
gijs,

Greg. hom.  
to. in Eua-  
liū. Dama-  
lib. 2. de he-  
re. ortho-  
dox.

Aug. de  
serm. 111.

In lib. D.  
ceteris de  
Gentian. de  
p. ec. sed &  
lib. 2. de  
in decreto  
de p. & in  
multis ca-  
sibus

dij sanctionem, quæ est in lege Mathematicos, Codice de Episcopali audiētia. *Mathematicos, nisi parati sine codicibus erroris proprii sub oculis Episcoporum in cedio cōcrematis, catholice religionis cultui fidem tradere nūquā ad errorē primū redituri, nō solū orbe Roma, sed etiā omnibus ciuitatibus pelli decernimus.* Quid iam expectāt isti prædicatores alijs docti, sibi omniū ignorātissimi? num vt eos non christianorum, sed infidelium potius (à quibus illa didicerunt) auctoritate frangamus? Marcus Tullius quidem in secundo de diuinatione id facit, & grauissimos ostendit auctores quos sequatur: tum rationibus pugnat haud infirmis, eius hæc sunt verba, *Ad Chaldeorū monstravēiamus, de quibus Endoxus Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorū hominū facile princeps, sic opinatur, id quod scriptū reliquit, Chaldeis in prædictione, & in notatione cuiusq; vitæ ex natali die, minime esse credendū.* Nominat etiā Panetius, (qui vnus è Stoicis astrologorum prædicta reiecit) Archelaū, & Casandrum summos astrologos illius ætatis qua erat ipse, cum in

Honorij, & Arcadij sanctio. in lib. Mathematicos. C. de episcopali audientia.

Marc. Tullij in 2. de diuinatione.



cateris astrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non usos.

Scilax Halicarnasens familiaris Panatij, excellens in astrologia, idemq; in regenda sua ciuitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiavit. Hæc Cicero.

Quod si homines ethnici, iidemq; astrologiæ peritissimi, & prædictionum cupidissimi, hanc partem abiecerunt, quod plena esset vanitatis, & falsitatis, quid christianos facere decet, qui habent plurima, & maxime salutaria discenda, quiq; falli maxime debent, quã fallere? Quid superest nisi ad hos ut clamet propheta, *Filij hominum usquequo graui corde, ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?*

Plato in 7.  
de legibus.

Plato in 7. de legibus, in bene instituta, & composita ciuitate doceri vult adolescentes astrologiam, non quidem iudicia ut ferant (neq; enim huius meminit) sed ut nemo ignoret ordinem dierum in mensem, mensium in annum, tempora: solennitates, sacrificia. Nec Aristoteles quidem, aut ullus illustrium philosophorum, qui sape-

scaperet, in hac arte sibi elaborandum existimauit. Plotinum summum in Platonicis philosophum ferunt eam primo auide arripuisse, deinde re intellecta abieccisse, & irrisisse. Cornelius Tacitus in, 2, annali scribit non multò post Augusti ætatem Senatus consultum prodijisse de mathematicis Italia pellendis.

Cornel. Tacitus in secundo anno li. 2. Ratio.

Sed ut ratione utamur, omisis testibus, futura aut in se cognoscuntur, aut in suis causis. Causæ autem quædam sunt quæ necessario efficiunt, nec variare vllò modo queunt: atq; harum effecta prænosci prædiciq; possunt rectè consideratis causis, ut astrologos videmus multò ante prænunciare.

Causæ aliæ sunt quæ necessario efficiunt,

*Defectus lune varios, solisq; labores.*

Et quidem etiam signato puncto temporis, ut eis sine temeritate fides haberi debeat.

Quædam non efficiunt ex necessitate, nec semper, sed plerumq; ita ut rarò deficiant, quatuor effecta certa, & indubitata prænotione comprehendere non possunt, sed coniectura quadam, & opinione, quoniam

2. Ratio. Causæ aliæ, nec necessario nec semper sed plerumq; efficiunt.

causæ eiusmodi sunt, ut & si nō sæpè id fiat  
tamen deficere interdum possint. Hoc gē-  
nere continentur prædictiones astrologo-  
rum in pluvia, & serenitate, medicorum in  
vita, & morte, quæ nisi ipsi in ratiocinan-  
do errent, plerunq; veræ sunt.

Alia sunt causæ quæ per se considera-  
tæ, in utrânq; partem equabiliter propen-  
sæ sunt, ut voluntas, cuius operatio non est  
necessaria, sed libera, nec hoc modo fre-  
quentius quam illo. Et quoniam quod in  
alia re cognoscitur, fieri non potest ut cog-  
noscatur nisi eo modo quo est in illa re:  
operationes causarum tertij generis ante-  
quam sint, ad certam, & exploratam cog-  
nitionem redigi nequeunt, quoniam cau-  
sæ ipsæ indifferentes sunt, nec habent defini-  
tam rationem operandi.

Ut ergo aliquis veram, atq; firmam fu-  
turatorum præsentionē habeat, eorum quæ  
ex causis liberis, aut crebro hoc, & illo mo-  
do operantibus oriuntur, necesse est ut fu-  
tura in se ipsis intueatur. Quod non est ho-  
mo in se intueri non potest, nec ergo hu-  
manę naturę est certo hæc futura prænos-  
cere,

3. Ratio.  
Causæ aliæ  
quæ efficiunt  
libere.

4. Ratio.

cerē, sed illius tantum, qui vocat ea quæ  
non sunt, tanquam ea quæ sunt. Quomo-  
do ergo astrologus scire potest, quod ego  
sim facturus? diues, an pauper? nobilis? an  
ignobilis? summus, an infimus futurus  
sim, cum hæc ex voluntate mea, aut alio-  
rum pendeant, aut certe causas habeant,  
quibus obstare multa possunt? Rectè ergo  
se habet illud Esaïæ, *Annunciate quæ ven-  
tura sunt in futurum, & sciemus quia Dii  
estis.*

Ad Rom. 5.

Esaïæ 41.

Tūm quod ego remotis arbitris feci, in  
causa non potest cognosci, quæ in vtranq;  
partem equè valet, superest in se vt cognos-  
catur; at in se iam præterijt, & desijt: vt er-  
go antequam esset prænosci non poterat,  
nisi in se ipso, ita postquam elapsum est nō  
potest sciri, nisi ab eo qui rem ipsam intui-  
tus est cū fieret, aut ab aliquo accepit  
qui viderit.

4 Ratio.

Quod si ita est, nihil est inanius, quam  
astrologorū de futuris, & etiā de præteritis  
iudicia. Itaq; verissimum est, & philosopho  
dignū quod dicebat Carneades, ne Apolli-  
nē quidē futura posse dicere, nisi ea quorū

causas natura ita contineret, vt ea fieri necesse esset. Nam etsi futura vera erant ex æternitate, causas tamen efficientes necessario non habebant: addebat, ne præterita quidem ea, quorum nulla signa, tanquam vestigia extarent, Apollini nota esse.

Iam (vt rem quasi acu tangamus) vtamur ratione, qua sæpè præstâtissimus theologus diuus Thomas vsus est, 1. p. quæst. 115. artic. 4. Et 1. 2. quæst. 9. artic. 5. Et 2. 2. quæst. 95. artic. 5. quæq; est ex Augustino desumpta in 2. lib. de genesi ad literam, cap. 17.

Sydera, & omnino corpora cœlestia nihil per se in animis nostris efficiunt, sed per corpora, non enim potest corpus vllum per se in rem corporis expertem aliquid facere. Tum cœlestes orbes virtute sua attingunt, & immutant nostra corpora, atq; inde quodammodo animos attingunt, qui sunt cum corporibus magna quadam propinquitate, & necessitate copulati. Quæro ex te vtrū hic attactus, & hæc mutatio animorum necessitatem eis afferat, an propensionem tantum seruata libertate?

S. Tho. 1. p.

q. 115 art. 4.

Et 1. 2. q. 9.

art. 5.

Et 2. 2. q. 95.

art. 5.

Aug. in 2 de

genesi ad li

teram, c. 17.

S. Ratio:



te? Si necessitas est, in pestilentissimam, & absurdissimam hæresim incides, quæ liberum arbitrium tollit, & homines convertit in belluas, nec tam stellas quàm Deum ipsum omnis nefariæ turpitudinis auctorem facit. Cùm ergo nos à malis deterret, ad pietatem hortatur? cùm bonis æternas voluptates pollicetur, malis nunquam finienda supplicia minitatur?

Si non efficiunt necessitatem, sed propensionem, & hæc propensio abijci, aut impediri potest, quæ potest esse certa divinitio? Inspice natalem diem tuum, inspecta sydera, accipis inde qui sub illis nascuntur proclives esse in avaritiam, in Venerem, in vinum: non est tibi integrum Deo adiutore, atq; fautore liberalem esse, sobrium, continentem? Quid apertius? quid notius? quid frequentius? Zopyrus, qui se naturam cuiusq; ex forma perspicere profitebatur, cùm multa in Socratem vitia collegisset, derisus est à cæteris qui illa in eo non agnoscebat: sed ab ipso Socrate subleuatus est, cùm illa sibi signa inesse, sed ratione à se deiecta diceret.

Clem. lib. 9.  
recognitio.

Mathidiæ matris Clementis sydera adulteria cum seruis, mortemq; in naufragio prædicebant (vt est apud ipsum eius filium nono recognitionum) sed nec illa in mari diem obiit, & pudicissima Petri quodque Apostoli voce prædicatur.

Similiter portendunt stellæ hunc aqua periturum, illum, generosam, & opulentâ coniugem ducturum, quid si hic sacris initietur, ille nunquam ad aquam accedat?

Quomodo tu iudicare de rebus occultis potes, indicant ne stellæ faciem, ætatē, nomen, parentes, patriam eius qui rem clam surripuit? Docent hunc & natura procliuem esse ad furtâ, nec hanc procliuiratem virtutē superasse, & ab ea victum hoc ipso in loco, hoc tempore furatū esse? Hæc si stellæ efficerēt, Dij esse potius quam stellæ viderentur.

Si igitur hæc generalia signa ita patefaciunt, ac commōstrant singula, quid obstat, quo minus omnia intelligas, & scias quæ in toto orbe terræ occultissimè sunt? An quod te de illis interrogat nemo? Quid interrogatione opus est? Quam in te sciē-  
tiam

tiam occultorum gignit isthec interrogatio? O delirationem incredibilem iterum persuadet hominibus diabolus, *Eritis sicut Dijs scientes bonum, & malum.*

Genes. 3.

Diogenes Stoicus his concedebat aliquid vt prædicere possent, dum taxat quali quisq; natura, & ad quam quisq; maximè rem aptus futurus sit. Cætera quæ profite-  
rètur, negabat vllò modo posse sciri. Quà-  
uis hoc quòq; ipsum negarit quidam pos-  
se integilli, vt mòx dicemus.

Sancti patres, quos dudum appellaui,  
ac præcipuè Augustinus, hoc maximè ar-  
gumento rem confici putant, quod ge-  
mini, vt Esau, & Iacob, simul concepti,  
& nati simul vitam, atque fortunam ha-  
bent plerumque disparem. Et aliquando  
intensissimè ab astrologis sic animaduer-  
sum duos pueros eodem puncto tempo-  
ris, eisdem penitus syderibus nasci, quo-  
rum alter in summa omnium rerum af-  
fluentia vixerit, alter seruiet seruitutem:  
quos Augustinus in septimo libro con-  
fessionum cap. 6. se vidisse, & cognouisse  
reliquit.

6. Ratio

Genes. 25.

Aug. lib. 7:  
confe. ca 6.

Aug. lib. 5.  
de ciuit. c. 3.  
4 & 5.

Sed respondere Nigidius figulus præf-  
tantissimus mathematicus solebat (vide  
Augustinum in, 5 lib. de ciuitate, cap. 3. 4.  
& 5.) spatium illud temporis quo alter ex  
geminis alterum in nascendo consequi-  
tur, & si nobis est perexiguum, maximum  
esse in illa cœli rapidissima celeritate, vt  
posterior, eadem quæ prior habere non  
possit. Id rapta in orbem rota figulus ostē-  
debat, quam cū bis penè simul atramen-  
to tetigisset, in quiescente notæ illæ nigre,  
quæ videbantur coniunctæ, disiunctissimæ  
apparebant. At quo se maximè tutari pu-  
tabant, id eos prorsus in extremum discrimen adducit: ita enim ex hoc argumen-  
tantur, Ambrosius, Augustinus, Gre-  
gorius.

7, Ratio,

Si puncto temporis adeò sydera mu-  
tantur, vt omnia efficiant diuersa in ijs,  
qui simul nascuntur, quo pacto tueri vale-  
bunt ista sua prædicta natalitia, cū punc-  
tum illud temporis quo quisque nascitur  
nullo modo percipi à quoquam queat?  
Signabunt parentes mei mensem quo ego  
sum natus, fortasse diem, aut etiam horā,  
sed

sed punctum illud ferme indiuiduum signare quomodo possunt? Et in tam mirabili cœli velocitate quis erit, etiam si nascentem puerum videat, qui comprehendere, & notare rectè oculis possit, qui status fuerit, & quæ conditio syderum? Mihi quidem nec si in cœlo esset astrologus id pernoscere posse videretur, nisi cœlum teneret.

Ad hæc, cùm nō totus simul exeat fœtus, sed primū caput exerat, deinde manus, & brachia, & cætera mēbra, relinquitur (quē admodum ait Gregorius) si in ictu puncti constellatio permutatur, tōt sint iam fata, & prædictiones quōt sunt membra nascentium, quo quid fingi potest amen-  
8. Ratio.

Videtis paulatim eo rem deductam esse, vt nulla prorsus præscientia futurorum habeatur ex stellis. Eadem ratio cognitionem tollit occultorum: nam & si id ex stellis percipi posset, nemo erit, qui comprehendat ob ingentem celeritatem motionis statum, atq; ordinem syderum quo tēpore res gesta est. Habebam equidem plu-



res in astrologos rationes, quas in libris patrum à me indicatis, legetis: mihi enim hæc satis videntur habere ponderis ad refellendam eorum temeritatem.

Dubium.

*obis 1.3*  
Solutio dubij.

2, Timot. 3.

Sed hîc insurgit dubitatio non parua, vnde hoc fieri dicemus? Nam quamuis multa dicunt, quæ falsa esse continuò re ipsa videmus, aliquândo vera esse eorum responsa solent: & quoniam complura ita euenire cernimus, vt est prædictû ab ipsis. Respondeo, casu id persæpe fieri, Deo fortasse patiente, & quasi conniunte, vt ita accidant, quo ipsi & consultores magis, ac magis desipiant, & (vt ait Apostolus) proficiant in peius, errantes, & in errorem mittētes, & ob peccatum illud magnum, hac pēna, quæ quidem est acerbissima, puniantur.

Aug. in 1.  
ad Simpli-  
cianum q. 2.  
Confirma-  
tur solutio  
dubij ex au-  
toritate  
Augusti,

Nec mirum est casu eos vera dicere, Augustinus enim ait in primo ad Simplicianum quæst. 2. responsa illa quæ miseris venditant, nullius artis expositione, sed fortuita suspicionē proferri: sed quoniā ea quæ casu fiunt, rarò accidunt, & frequenter multorum prænuntiata exitu comproba-

ri videmus alia proferenda est ratio, quam malletem equidem à lectoribus meis intelligi, quam à me explicari: est enim plena superstitionis, & infidelitatis.

Stellæ in ijs quæ ad liberos actus spectant, aut in ijs quæ alijs causis crebro impediri solent, nihil certè prænuntiant, futura, & præterita quorum vestigia nulla exstant, comprehendi ab homine non possunt. Deus eiusmodi res hominibus impuris (cum præsertim nihil ad eorum salutem pertinent) nō opinor reuelavit: à quo igitur hæc accipere dicemus quæ turpissimè quærunt, & impudentissime vèditant, nisi à malis spiritibus? non enim video quibus hæc potius tribuam, quæ vt patet mortaliū captum superant, & à Deo huiusmodi homines edoceri non solent.

Sed est durissimum, & intolerantissimum putare astrologos nostros vllum habere cum demonibus commercium. Nā quæ eos ciuitas, aut quæ hominum societas ferret?

Ego vt ab Arcadio, & Honorio iubebatur, nisi igni libros suos tradant, omnibus ci

Confirmatur secundo ratione.

ciuitatibus pellendos, & exigendos dignè iudico, ac eos maximè qui de occultissimis facinoribus responsa reddunt.

Et si enim ipsi optimè scire possent, aut Deo detegente didicissent, omnino reticere debebant, quoniam nemini obscurum, aut dubium est, cùm fraternam charitatem, tùm etiam iustitiam violari, cùm occulta fratrum crimina patefacimus, eorumq; famam, & existimationem infringimus, & vulneramus.

Erant ergò hi superstitionis auctores, contemptoresq; religionis, diuini iuris, & humani violatores, à communione hominum, cèu pestilentissimæ belluæ, in extremas orbis oras deportandi. Nec tamen dico daemones inuocari ab his, quâuis haud scio an hoc etiam de quibusdam suspicari recte liceat, qui nescio quas imagines, & quæ signa fingunt, vt à magicis artibus nō nimium abesse videantur. Sed quia homines nefariè res inanes scire quærunt, vnde illæ sciri non possunt, ipsis inscijs, & arte id cognosci existimantibus, daemon se ingerit, ac offert (quī certissimis coniecturis

et uris ad rerum prænorationem sæpè vti-  
tur) quo eos rem indicando allicitat, & diu-  
tius in illo peccato, atque in illa vanitate  
teneat.

Hoc ne temerè à me confictum arbi-  
traris, malo auctores audias quos sequor,  
quàm me.

Sanctus Thomas scis quam nihil inep-  
tè, nihil oſcitanter, nihil temerè dicat, is, in  
2.2. quæſt. 95. artic. 2. hæc ſcribit, *Omnis  
autem diuination ex operatione demonum  
prouenit, vel quia expreſſè demones inuo-  
cantur ad futura manifeſtanda, vel quia  
demones ingerunt ſe vanis inqueſtionibus  
futurorum, ut mentes hominum implicent  
vanitate. Vana autem inqueſtitio futuro-  
rum eſt, quando aliquis futurum prænoſ-  
cere tentat, unde prænoſci non poteſt. Et  
in articulo quinto eiſdem quæſtionis.*

*Si quis ergò conſideratione aſtrorum uti-  
tur ad cognoscendos futuros caſuales, vel  
fortuitos euentus, aut etiam ad cognos-  
cendum per certitudinem futura opera ho-  
minum, procedit hoc ex falſa, & vana opi-  
nione, & ſic operatio demonis ſe immiſcet.*

Vnde

S. Tho 2.2.  
q. 95. art. 2.

Idem Tho.  
art 5. q. 95.  
in 22. —

Augst. lib. 2.  
de doctrina  
Christ. c. 23.

*Vndè erit diuination superstitiosa & illicita.*

Ac si quis sancti Thomæ sententiam repudiauerit, sciat eum hac in re, vt in alijs plurimis habuisse magistrum beatissimū Augustinum in, 2. de doctrina christiana, cap. 23. cuius verba equidem haud grauior referre. *Hinc enim (inquit) fit, vt occulto quodā iudicio diuino cupidi malarū rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluntatum suarum illudentibus eos, atq; decipientibus prauaricatoribus Angelis, quibus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum diuinae providentiæ lege subiecta est: quibus illusionibus, & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis, & pernitiis diuinationum generibus multa præterita, & futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicunt, multaq; obseruantibus secundum observationes suas eueniant, quibus implicati curiosiores fiant, & se se magis, magisq; inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris, Et paulò post, Omnes igitur artes eiusmodi, vel negatorie, vel noxiæ superstitutionis, ex quadam pestifera societate*



hominum & demonum, quasi pacta infidelis & dolosa amicitia cōstituta penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.

Idem in 2, de Genesi ad litteram, cap. 17. ita ait, Ideoq; fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humana mentes patiuntur. Quod cū ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est, quibus quodam vera de tēporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experiētiā callidiorē propter tā magnam lōgitudinē vitæ, partim à sanctis angelis, quod ipsi ab omnipotēte Deo discunt, etiam insu eius sibi reuelātib; qui merita humana occultissima iustitiæ sinceritate distribuit. Aliquando autē ijdem nefandi spiritus etiā quæ ipsi facturi sunt, velut diuinādo prædicunt: Quapropter bono christiano, siue mathematici, siue quilibet impie diuinantium, maximè dicentes vera cauendi sunt, ne consortio demoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant. Hæc Augustinus,

Aug. lib. 2.  
de genesi ad  
litteram, ca.  
17.

Qui autem hac de re plura videre desiderat contra istos astrologos iudiciarios, videat præter auctores iam citatos diuum

Chrisostomum in capite secundo Matthæi, beatum Basilium homilia sexta in Genesim, & sermone in principio pro-  
uerbiorum. Sanctum Bonauenturam in centuloquio, diuum Antoninum secunda parte titulo, 12. cap. 1. §. 6. sanctum Epiphanium libro de ponderibus, & mensuris, vbi dicit olim Aquilam Ponticum ab Ecclesia pulsum fuisse, eò quòd his studijs noluisset abstinere. Sanctum Athanasium in illa verba Pauli ad Colossenses secundo, *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Quæ verba de astrologia accepit Athanasius, & rider augures, & ostendit à scientia sua Babylonios, & Chaldaeos fuisse deceptos, illudq; ipsis studium inutile & noxium fuisse, videat Eusebium de præparatione euangelica, lib. 6. cap. 9. & lib. 14. cap. 4. Cyrillum libr. 10, aduersus Iulianum.

Chrisosto.  
Basilius.

Bonauent.  
Antoninus.

Epiphanius.

Athanasius.

Eusebius.  
Cyrillus.

num. Petrum de Tarentasia, Richardum, Paludanum, Gabrielem, & Maiorem in quarto sententiarum, Guillelmum Parisiensem in tractatu de legibus ad longum. Ioannem Salisberiensem libro secundo, doctissimum & in hac re vberissimum: Ioannem Picum Mirandulanum libro aduersus astrologos. Et Franciscum Picum libro quinto de praeotionibus. Michaelem de Medina, libro secundo de recta in Deum fide, capite secundo, Iulium Sirenium libro nono de fato cap. 29. Benedictum Pereirum de sancta religione societatis Iesu libro integro de diuinatione astrologorum. Martinum del Rio eiusdem societatis in tractatu magicorum disquisitionum latissime parte secunda. Franciscum Valesium libro de sacra philosophia, cap. 31. Georgium Trapezuntium in libro: cur Astrologorum iudicia ut plurimum sint falsa. Sixtum ab Hemminga Frisium in hac arte peritissimum in libro de astrologia refutata. Barthesanem Syrum, & Diogenianum ex veteribus philosophis clarissimos apud Eusebium de

Petrus de  
Tarent.  
Richard.  
Paludan.  
Gabriel.  
Maior.  
Guill. Paris.  
Ioan. Salisberienfis,  
Ioan. Picus  
Mirandul.  
Frac. Picus.  
Micha. de  
Medina.

Tullius Sire.  
Benedictus  
Pereirus.

Martinus  
del Rio.

Franc. Valesius.  
Georg. Trapez.

Sixtus ab  
Hemminga.

Barthesanes  
Syrus.  
Diogenian.

Henricus,  
Cornelius,  
Phauorin.  
apud Aulū  
Gelium.

præparatione euangelica dicto libro sexto capite sexto & septimo: Henricum Cornelium qui multa contra hos congerit, dicens, hanc artem nihil esse aliud, quàm superstitiosorum hominum fallacem cōiecturam, qui ob multi temporis vsum de rebus incertis scientiam fecerunt: in quā emungendæ pecuniæ gratiā decipiant imp. ritos, & ipsi simul decipiantur. Videat etiam Phauorinum apud Aulum Gelium libro decimo quarto capite primo qui luculenter & eleganter rem hanc prosequitur, & alios plures apud Ioannem Stobæum ferm. 78.

Ioan. Andr.  
Abbas,  
Ancarran.  
Ananias.

Turrecre.  
Albericus  
Rosatus.  
Grillandus

Troillus  
Maluetius

Petr. Leloy  
herius.

Et inter Iurisconsultos, tàm canonistas quàm legistas, videat Ioannem Andræam, Abbatem, Ancarranum, Ananiam, in capite Ex tuarum, de sortilegijs, Turrecrematam in cap. illos, 26. quæst. 2. & in summa. Albericum, Rosatum in voce, Sortilegus, Grillandum, de sortilegijs, quæst. 3. num. 8. & quæst. 9. num. 13. cum sequentib. Et quæst. 11. num. 16. Troillum Maluetium in tractatu de sortibus, p. 1. Petrum Leloyherium lib. 3. de spectr. cap.

cap. 9. Bald. Salicet. & alios in. l. 2. & 5. C. de malefic. & Mathem. videat etiam ius civile Romanorum, l. 2. C. de malefac. & Mathem. l. Mathematicos, C. de Episcopali audientia, quibus & ars interdicta, & codices incendio, & vtentes damnantur exilio, & alibi etiam morte plectuntur. l. 5. C. de malef. & mathem. Est etiam videndus Dion casus, qui lib. 49. refert, quod seuerissimis multorum principum decretis, & edictis explosam, & damnatam, & grauissimis supplicijs addictam esse istam artē, & ipsos astrologos iudiciarios eiectiones esse, & pullos ab vrbe Roma à principibus, Agrippa, Tiberio, Vitellio, Diocletiano, Constantino, Theodosio, Valentiniano, præsertim autē Iustiniano, quibus huius artis studiū, & exercitatio non solum vt inanis & veritatis expers iudicata est, sed etiam vt ciuitatibus, & societati hominum noxia & pestilens, semper visa est detestabilis.

Et tandem videat præter concilium primum Toletanum supra citatum in asseritione fidei contra Priscillianitas, Concilium Bracharense primū, capite nono &

Bald.  
Salycet.  
Ius ciuile,

Ius canon.  
C. de malef.  
C. de mathem.  
Dion casus:

Concilium  
1. Tolet. &  
conc. r. Brachar.  
in Cō  
litis genera  
lib.



alia concilia, in quibus Ecclesiæ iudicium videbit, quæ à primordijs suis iudiciarios istos astrologos odit, fugit, & damnat. Aduersus quos extant plurima, & seuerissima decreta, & canones patrum, quæ legere licet in, 2. part. decretorum à 26. quæ iam citata, & per primas quinque quæstiones sequentes: & grauitè in bulla Sixti. V. P. M. contra astrologos.

Habetis iam Thomæ, Augustiniq; quibus complures alijs assentiunt, iudicium longè profectò verissimum. Reliquum igitur est, vt ad alia promissa declaranda ad nostrum concionatorem necessaria: omnibus velis, & remis contendamus.

## CAPVT. XII.

*De integritate vitæ, & quàm per necessaria sit ad perfectum concionatorem, & de virtutibus quæ eum maximè ornare debent, de vitisq; fugiendis.*

Integritas  
vitæ.

**P**ERFECTI concionatoris ornamenta, & scientiarum tam variarum, & maxima-

ximarum cognitionem, non quidem eo genere orationis, quod rerum magnitudo postulabat, sed eo quod ingenij nostri tenuitate, & paupertate excoli potuit persecuti sumus. Tempus est iam ut ad secundum punctum, ad nostrum concionatorem necessarium, deueniamus: quod quidem est integritas vite, quæ quidem permultum iuuat, & sine qua nec beneuolentiâ conciliare, nec persuadere, quod est in hac arte potissimum, potest. Non igitur immeritò Marcus Cato negabat eum oratorem esse, qui vir non esset bonus, ac dicendi peritus: videbat enim fructum bene dicendi, quæ persuasio est, nullum esse in eloquentia virtutis splendore destituta. Nihil enim est, aut abiectius, aut furiosius homine improbo, & flagitioso, cum alios ad virtutes cohortatur. Nō ne vobis sæpè.

*Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & glaciale* Iuuen. sat. 2.

*Oceanum, quoties aliquid de moribus audent*

*Qui simulant Corios, & Bacchanalia viuunt?*

Ad Rom. 2.

Quid enim turpius, aut miserius quam eum, qui confidit se ipsum ducem esse cecorum, lumē eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, audire posse, qui ergo alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas nō furandum furaris? qui dicis non mæchandū mæcharis? abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per præuaricationē legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur intergentes, sicut scriptum est. Quā libertate in aliorum vitia dicere poterit, quibus teneatur ipse? Aut

Ius. Sat. 2.

*Quis cælis terris nō misceat, & mare cælo,  
Si sear displiceat Verci? homicida Miloni?  
Clodius accuset mæchos? Catilina Cethegum?*

Auertat Deus à nobis illā grauē, & peracerbā contumeliā, Omnia quacūq; dixerint vobis, seruare, & facite, secundū vero opera eorū nolite facere, dicunt enim, & nō faciunt. Frustra isti se tantis laboribus, & clamoribus exercent. Nihil enim prodest (ut rectē inquit Cyprianus) verbis proferre

Cyprianus  
serm. mor-  
alitate.

virtutem, & factis destruere veritatem. Et Hieronymus super epistolam ad Titum capite secundo *Nihil prodest* (inquit) *exercitatum esse in dicendo, & ad loquendum truisse linguam, nisi prius exemplo docuerit, quam verbo.* Quid ita? quia habet (auctore Augustino) ut obedienter audiat quantacumq; granditate dictionis maius pondus vita dicentis.

Hier. sup.  
epist. ad Ti-  
tum c. 2.

Ideoq; Tito quem huic muneri præfecerat, ita præcipit Apostolus, *In omnibus te ipsum prabe exemplum bonorum operum, in doctrina in integritate, in gravitate, verbum sanum irreprehensibile, ut is qui ex aduerso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis.*

Aug. lib. 4.  
de doctrina  
Chr. c. 17.  
Ad Titum,

Nec verò nos ipsos modò bonis moribus esse satis est, nisi domesticos nostros, eosq; qui curæ nobis sunt, in officio manere faciamus. Nam de futuro Episcopo dictum esse scimus: *Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuria, aut non subditos.* Satis esse videbatur Episcopum sine crimine esse, sed Paulo satis nō est, ne cū ad fidē,

Ad Titum,

ad obedientiam, ad frugalitatem alios voluerit hortari, responderi possint illi, atq; tu filios habes infideles, ab obedientia, & à frugalitate alienos, quos prius admonitos oportebat, vt Marcus Tullius dicitur, cui cum Verres, qui filium habebat parum pudicè flore ætatis vtentem, idem vitium obiecisset, *Ignoras, inquit, quod liberis intra fores conuitiandum sit.*

Aug. lib. 4.  
doctr. Chr.  
c. 28.

ad Rom. 12.

1. Cor. 13.

Hinc etiam conficitur, quod Augustinus, 4. de doctrina christiana, cap. 28. docet, magnam famæ habendam esse rationem, cum scriptum sit, *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Vt enim alijs dicendo prosis, quod concionatori propositum esse debet, parum est probari Deo, nisi hominibus etiam proberis, qui nihil verbis mouentur tuis, si ea parum cum vita consentire persuaserint sibi. Atq; illud quodq; video, hoc hominum genus (qui quia charitatem non habent, quamuis linguis hominum loquantur, & angelorum, facti sunt velut æsonans, aut cymbalum tinniens) non modò ab alienorum reprehensione vitiorum, verum



rum etiam à Dei laudatione diuina voce deterreri, peccatori enim dixit Deus, *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Cùm verò isti præclaro, & debito munere inter dicitur, nisi quia nō est speciosa laus in ore peccatoris: & ipse odit disciplinam, & projicit sermones Dei retrorsum? si videbat furem, currebat cum eo, & cum adulteris portionem suam ponebat?

Psal. 49.

Ecclesiastici. 15.

Quàmuis autem omnibus virtutibus concionator instructus esse debeat, quædam tamen sunt quæ in hoc homine, atq; in hac conditione maxime extare ac eminere debent: quæ theologicæ dicuntur, vel ex nominis propinquitate, cùm in theologia maxime præstare, & excellere debeat, & sunt ille quidem fides, spes, charitas, cùm omni hominum vitæ, tum huic statui pernecessariæ.

Virtutes  
Theologicæ,  
les præcipue  
necessariæ in  
concionatore.

Charitas in nullo magis eluceat oportet, vt doctor futurus aliorum, & auctor rerum mortalium spernandarū, Dei prius amore rapiatur, contemnat voluptates, nihil nisi cœleste, diuinumque medite-

Charitas.

tur. Deinde ut amore illo extra se ipsum ductus, & in diuinam naturam mutatus domum Dei tueatur, totus in fratrum suorum utilitatem incumbat, rebus magis quam verbis doceat, prodesse cupiat, non laudari, nihilque pretermittat, quamuis abiectionem esse videatur, in quo usus esse possit christianis.

Qua quidem in re sæpè numero me multorum concionatorum pudet, qui non solum nisi coram Regibus, aut magnis viris dicere, audire peccata confitentium, & iuuare morientes, quo tempore maximo adiuumento indigent, aut laboris, aut certe arrogantie causa fugiunt, cum nihil Deo fiat acceptius, nullare magis fratribus prodesse valeamus. Quæ igitur maxima erant misericordie, beneficentiaque opera, qui que optime efficere poterant, plebeijs, & indoctis sacerdotibus relinquunt, declarantes profecto se se non Dei regnum, aut fidei amplificationem, sed regum, & principum virorum beneuolentiam, diuitias, voluptates, honoresque aucupari. Equidem sæpè id considero, plus aliquando vna concione

cione in vicis, atq; in oppidulis, quàm decem fieri in ciuitate: & magis semel, aut iterum confitentem audiendo, quàm ter ac quater concionando populo prodesse.

At adesse morientibus, mærentes consolari, fidem in ijs confirmare, animos conscientia malefactorum iacentes, debilitatosq; spe futurorum erigere bonorū, oculos in humum deiectos in cœlum attollere, dubio Marte cum inimicis dimicantes cohortari, rerum, ac ipsius vitæ, (qua nihil est iucundius) contemptum, magnitudinemque animi summis in doloribus persuadere, quis non videat diuini hominis esse? & neminem magis, quàm summū concionatorem decere?

Illaverò calamitum, periculorumq; victrix, sedatrix dolorum, aduersarum rerum solatium, & perfugium spes, quæ omnes animi partes in officio continet, vehemens in hoc esse debet, vt oculis in immortalitatem coniectis non solum voluptates, & honores, sed etiā pericula, mortēque contemnat, nihil taceat, quod quidem loqui debeat, nihil formidet, graui  
& se-

Spec.

& seüero vultu potentissimorum hominum mores, & vitia reprehendat.

Fides.

Ad Hebr.  
xi.

*Fides autem rerum substantia sperandarum, argumentum non apparentium, Fundamentum charitatis, initium salutis, expultrix errorum, magistra veritatis, conseruatricq; virtutum, in quo magis inesse debet, quam in eo, cuius proprium est (vt sæpe diximus) fidem gignere, nutrire, defendere, & roborare? Hanc ea firmitate complecti, ea magnitudine animi profiteri ubiq; oportet, vt nihil verius, aut certius excogitari posse credat, verum esse quidquid cum hac cõsentiat, falsum quidquid discrepet. Hanc auditis, visiq; præponat, & citius cœlum, ac terram misceri putet, quàm minimum Dei verbum falsum esse posse.*

Libri sacri  
sequendi, &  
quemodo  
intelligendi  
sunt.

Diuinorum librorum sacrosanctam auctoritatem constanter sequatur, non vt eos ipse intellexerit, sed vt sancti patres, & catholicorum concilia sacerdotum exposuerint.

Pontificem maximum quasi summũ Dei interpretem, & fidei, morumq; magis-

magistrum veneretur, Romanam Ecclesiam columnam, & firmamentum veritatis esse intelligat, vt enim Hieronymus ad Damasum scribit, *Profligato à sobole mala patrimonio in hac incorrupta patrum seruatur hereditas, quisquē extra hanc domū agnum comederit, prophanus est, si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuiō,*

Quanta Reuerētia, & si des Pōtifici summo, & Ecclesię Romanę sit habenda, Hier. ad Damas. epist. quoniā vetus.

Cum Hæreticis bellum sine inducijs pro domo Dei gerat, eorum eloquentiam Ecclesiasticę simplicitati postponat, argumentis quæ in nos adferunt, etsi magnas vires habere videantur, ad eò moueri non debet, ut si res ita postulet, pro veritate cōfirmanda nullum periculum, nullum mortis genus recuset.

Cum hæreticis quomodo sit habendum.

Prudentia quoquē virtutum omnium comite, & duce opus est, vt adhibeat ad res considerandas & tempus, & diligentiam, vt incognita præ cognitis nō habeat, eisquē remere assentiatur, ne nimis magnum studium in res obscuras, atquē difficiles, easdemquē nō necessarias conferat, ne parum operæ, curæquē ponat in cognitione dignis,

Prudentia necessaria.



nis, ne quid præcipitanter dicat, ne quod dubium, aut in opinione positum est, cōstans & indubitatum, quodq; in quæstione versatur ad fidem credat pertinere.

Humilitas.

Sed inter virtutes quæ morales vocantur, nulla est in summo concionatore humilitate optabilior, præstâtior, aut gratior

2. Timet. 2.

*Servum enim Domini* (vt ait ille magnus cōcionator) *non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.*

Matth. 11;

Quare non iniuria & vitæ instituendę, conseruandęq; auctor Christus vt ab se discamus iubet, qui mitis est, & humi-

1. Cor. 11.

lis corde, & eius discipulus Paulus quò magis in hac facultate proficiebat, eò se magis, ac magis dei iiciebat, seque indignum Apostolico munere, minimum Apostolorum, minimùmque sanctorum vocabat,

Et ad Eph. 3.

Viribus nostris nūquā fidendum, sed in Deo

Est autem nobis mirè necessaria, primū vt nostris viribus minimè fidentes à Deo sapientiam & speremus, & recipiamus: *Habe fiduciam*, inquit sapiens, *in Domino ex toto corde tuo, & ne imitaris prudentia*

Prover. 3.

tua,

itua, in omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Deinde vt sapientiam acceptam illi Patri luminum referamus à quo est omne datum bonum, & optimum, ne illorum insaniam imitemur, qui vt à Paulo accepimus, Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed ea auerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.

Iacob. 1. 25  
3. 16. 17.

Ad Rom. 1.

Vt etiam quæ à Deo nobis tradita sunt cognoscere curemus, quæ verò sibi ipse reseruabit, & homines latere voluit, non superbè perscrutemur, sed humiliter nos ignorare patiamur. Habemus de hac re, consilium salutare sapientis, Mel inuenisti comedere quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud. Et paulò post, Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. Et Paulus non tantum monet, sed etiam obsecrat, Dico, inquit, per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, nò plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad

Arcana dei  
nò superbe  
perscrutanda.

Prou. 25.

Vide Rodolphum Baynum in huc locum, lib. 3. c. 25.

Ad Rom. 12.

Superbiam  
nimè fugiē-  
da.

Psal. 38.

Ad Rom. I.

*sobrietatem.* Hoc verò humilitate conse-  
quemur, (quod est omnibus bonis cū pri-  
mis expetibile) vt superbiam vitium Deo,  
atq; hominibus ingratiſſimum, fontemq;  
vitiſſimum omnium fugiamus, ex qua, ve-  
lut ex putri, corruptaq; radice omnes hæ-  
reses videmus pullulaſſe, atq; propagari.  
Etenim homines superbos, & nimium sui  
iuris, atq; ſententiæ in fallaces opiniones  
vltor Deus incidere patitur, quas illi cōtra  
religionem, & veritatem defendentes, ac  
Eccleſiæ maiorūque decreta ſequi de-  
dignantes, incurrunt in magnos errores,  
& coniſciunt ſe ſe in ſempiternas calami-  
tates. Quod cum Dauid animaduertit,  
pauens, ac tremens, *Nō veniat, inquit, mi-  
hi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris nō mo-  
ueat me, ibi ceciderunt omnes qui operan-  
tur iniquitatem.* Paulus verò illos ipſos qui  
diuinarum rerum cognitionem non Deo,  
ſed ſibi tribuebant, in tam extremam de-  
mentiam, tamq; miſerabilem cæcitatem  
deductos eſſe à ſuperbia ſua dicit, vt muta-  
uerint gloriam incorruptibilis Dei in ſimi-  
litudinem imaginis corruptibilis hominis

& vo-

& volucrum, & quadrupedum, & serpentiū tradideritq; illos Deus in reprobū sensum, & in desideria cordis eorum: vt se turpissimis libidinibus polluerint, nihilq; sibi ad summa flagitia reliquum facerent.

At homines humiles, & nihil de se magnū cogitantes, ne fallacijs hæreticorum capiantur continebit ipse humilitatis magister, & amator Deus, *Qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiā*, aut eos certè si præ ignorantia capti fuerint, liberabit. Vt enim est apud Dauidē, *Apud Dominum gressus hominis dirigetur, & viam eius volet*, (loquitur autē de iusto & humili) *Cum ceciderit nō collidetur, quia Dominus supponit manum suam*. Ita q; fieri non potest, vt qui humilis est, hæreticus sit, non enim hæresim error facit, sed illa in errore tuēdo pertinacia, quæ tota ex animi elatione nascitur, atq; amore sui fouetur, & alitur: sed humilitate restringitur & aboletur.

Efficit quòque hæc virtus vt ambitionem, honorūque contentionem fugiamus, qua nihil est abiectius, miseriūsq; & quæ turbulentissimas seditiones, & tumultus

Humilitate  
admirabilia  
effecta.

Iacob. 4. 7.

Psal. 36.

tus in Ecclesia sæpe concitauit. Nàm vñ  
 uenisse sepè numero videmus homines tur  
 pes, & obscuros, qui si se intra Ecclesiam  
 continerent, ignoti, ac sine honore iacui  
 sent, vt in hominum luce versentur bellū  
 Ecclesię indicere, & per summa scelera glo  
 riam quærere, quam per res præclarè ges  
 tas nunquam se consequi videbant. Quare  
 meritò Hieronymus in libro contra Hel  
 uidium prope finem, immoderatā glorię  
 cupiditatem in Heluidio reprehendit, qui  
 vt obscuritatē nominis illustraret sui, stul  
 tam, & pestilentem hærësim excogitauit,  
 eumque similem dicit esse illi, qui Dianę  
 Ephasię templū cum incendisset, vltro se  
 se obtulit principibus ciuitatis, & ita se fe  
 cisse dixit, vt quod virtute nō poterat, sce  
 lere saltem notus esset.

Ex hoc vitio pecuniarum cupiditas  
 existere solet, hortatrix scelerum, contēp  
 trix religionis, animiq; sordidi, & abiecti  
 testis, quam non aliorum tantum malo  
 rum, sed hærësum etiā causam esse Pau  
 lus docet, Radix, inquit, omnium malorū  
 est cupiditas, quam quidam appetentes er

Hier. lib. cō  
 tra Heluid.  
 prope. finē

Cupiditas  
 grauissimū  
 vitiū, & val  
 de fugiendū.



rauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Ab hac igitur concionator per alie nus esse debet, eamq; vt teterriam pestem execrari, quam si cum honorum vera, & minimè simulata cōtēptione copulauerit, lucebit eius lux coram hominibus, & se se magis curis, & molestijs liberabit. Est enim omnino concionatore dignum, vt rei familiaris mediocritate quæsita, gloriæ, pecuniæq; appetitioni modum adhibeat, ne semper aliundè pendeat, careatq; illa animi tranquillitate, qua sibi, atq; alijs emolumento esse debeat, qua in re vehementer ubique peccatur, sunt enim multi (quos equidem sine dolore videre non possum) qui semper candidati, pendentēque animi plura quærunt, quò plura habent, ac concionatores nominari volunt nihil efficientes quod concionatorum sit, sed in regijs ædibus, inter procereq; versantes, hominibus placētes, veritatem adulationibus occultantes, voluptatum, & honorum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem eius abnegantes. Hæc virtutum ornamenta qui

disciplinis illis, quas diximus adiunxerit, & quasi gemmas auro sepsierit, non dubitabo perfectum concionatorem nominare, nec eum ad munera illa sua mittere verebor.

### CAPVT. XIII.

*In quo aliqua praecepta traduntur, quo modo concionator, docere, scribere, rectèque concionari debeat.*



ED Quamuis nihil iam ei deesse videatur, in quem tã praeclaras intellectus, volûtatisq; opes contulerimus, tamen quoniam de docendo, & de scribendo, nulla, vel pauca diximus, de quibus, deq; rectè concionando aliqua cognitione dignissima in mētem occurrunt, quæ ad hæc officia, & quæ nos descripsimus maximè pertinere vidētur (sunt enim propria optimi, & veri cōcionatoris) scrip-  
tis istis mandare volui. Cetera per se intel-  
liget,

liger, qui talis fuerit, qualem nos depinximus.

Et primo, docendi ratio, nec est illa quidem admodum difficilis, nec angustis quibusdam finibus continetur, sed per omnia concionatoris munera diffunditur. Non enim in scholis tantum docetur, sed in scriptis etiam (nam quid aliud est scribere, quam posteritatem docere?) atque in concionibus, quas ad populum habeamus.

Et quidem quamuis tribus rebus homines ad nostram sententiam perducere solemus, aut docendo, aut delectando, aut permouendo, vna ex tribus his prae nobis est ferenda, vt nihil aliud nisi docere velle videamur.

Principiò auctores, quos ego potissimum sequendos iudicarem, iam superius notavi, hoc est, vetustiores, qui maximè doctrina, grauitate, auctoritate praestant, quiq; paucis verbis multa, & praeclara comprehendunt, tametsi qui publicè docet per omnes discurrere, vagariq; debet.

In docendo autem magnopere curan-

Arist. lib. 5.  
 Metaph. e. 1  
 & lib. 7. c. 4.  
 & 1. phil. c. 1.

dum est, quod Aristoteles præstantissimus docendi magister multis in locis monet, in nullo prætermisit, ut non semper ab ipsis rei principiis exordiamur, sed vnde facillime auditores discere poterunt, & ab his quæ notiora nobis sunt, ad ea quæ sunt suapte natura nota veniamus. Cum enim ex prænotionibus quibusdam cognitio nostra semper oriatur, impetrari non potest ut quidquam cognoscere possimus nisi per ea, quæ intellectui nostro familiaria sunt, siue illa nobis, siue natura nota esse contingat.

Arist. lib. 1.  
 ad Nicomach.  
 c. 7.

Sunt hic etiam quædam eiusdem philosophi monita nobis notanda, memoriæque retinenda, quæ ille in primo de moribus ad Nicomachum libro, capite septimo paucis complexus est. Ut singula ita pertractemus, ut suapte natura percipi possunt, quod fiet, si verbis usitatis, si ordine seruato, si non interruptè docebimus.

Sunt quædam principia, quasi fundamenta ponenda, perspicua, & certa, ex quibus reliqua deducantur, & magna diligen-  
 tia

tia in definitionibus adhibēda est, quę quoniam id quod definitur explicant quid sit, non mediocrem lucem ad ea, quę dicēda sunt, adferunt.

Singula suis locis sunt tractanda ne (quod vitiosum est) extra rem multa dicamus, & temere diuersa miscentes instituti sermonis cancellos egrediamur: quod quidem Aristoteles, & veteres ferme omnes egregie obseruauerunt, ac pręsertim sophistę, plusquam par erat aspernati sunt, in quorum libris apparet sæpe

*Rudis, indigestaq; moles,*

*Nec quidquam, nisi pondus iners, congestaq; eodem*

*Non bene iunctarum discordia semina rerum.*

In iudicando autem, inque eligendo alterā quęstionis partem, Vincentius Lirinensis elegātissimus auctor, in aureolo libello, quem vnū aduersus hereses reliquit, tria iubet vt sequamur, vniuersitatē, antiquitatē, consensionē. Vniuersitatē, vt illud confidenter affirmemus, intrepidique tueamur, quod tota Ecclesia confiterur,

Obid. lib. 1.  
Metam.

In iudicando tria notanda.

2. Vniuersitas.



quod ubiq; quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est enim verè, proprièq; catholicum, quod ipsa nominis vis, ratioque declarat.

2. Antiquitas.

Doctrinæ  
novæ fugiē  
dē, & ut iust  
pectæ habē  
dē,

Antiquitatem verò sequendam esse dicit, quoniam in rebus fidei, quæ Ecclesiæ, maiorumq; ratione constant, nova semper fugere, antiqua proferre debemus. Atque ea demum suspecta habenda sunt, quæ novitate blandiuntur. Ideoque ab Spiritu Sancto præceptum est proverborum, 22.

Prou. 22.

*Ne transgrediaris terimnos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Non enim ea quæ nos credimus humanis ingenijs nuper excogitata sunt, sed à Deo ipso per Apostolos suos tradita, ab Ecclesia confirmata, à sanctis viris ad necem usque defensa: nec ab Apostolis quidem inciperunt, tametsi latius sunt ab illis explicata, hæc prophætæ, & patriarchæ, atque omnes qui ab orbe cōdito Deo placuere, tenuerunt. Quos omnes Paulus *Testimonio fidei probatos* esse dicit, eius nempe fidei, quam nos habemus, quemadmodum alio in loco ait, *Habentes eundē spiritum fidei, sicut scriptum est, credidi,*  
prop:

Ad Hebre.  
11.

2. Cor. 4.  
Psal. 115.

*propter quod locutus sum, & nos credimus,  
propter quod & loquimur:*

Hæretici autem ab illa veneranda antiquitate recedentes noua semper adferunt, ac vetera cōtemnunt, de quibus grauiter, vt solet, & eleganter Apostolus, *O Timothee, depositum, inquit, custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Et Ioannes in, 2. canonica, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nō affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.* Nam quod in orthodoxorum patrum cōcilijs nonnulla credenda proponuntur, quæ prius ad fidem minimè pertinere videbantur, non noua traduntur, sed quod maiores nostri semper asseruerunt, quod ab Apostolorum traditione acceptum erat, quod quodammodo latebat, in lucem vindicatur, exponitur, & (vt superbis hominibus licentia adimatur) maiori auctoritatis pondere stabilitur. Ita ergo antiquitati adhærebimus, si non modo antiqua sectemur, sed eo sensu omnia intelligamus  
quo

Hæretici doctrinæ nouæ  
semper amatores.

1. Timot. 6

Ioan. in 2  
canonica.

quo a maioribus nostris viris optimis, & sapientissimis intellecta sunt. Quemadmodum in Ecclesiastico admonemur capite octauo. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientum, ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam intellectus.*

Vnde beatus Ambrosius lib. 3. ad Gratianum de fide, cap. 7. sic ait, *Sernemus precepta maiorum, nec hereditaria signacula ausi rudis temeritate violemus librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat signatum à confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum? Qua de causa in sexta synodo generali ob id damnati sunt Origenista, quod novas expositiones conati fuerint contra maiorum traditionem invehere. Et in canone decimonono Synodi Trullanæ sic habetur. Oportet eos qui præsumunt Ecclesijs, clerum & populum docere ex diuina scriptura colligentes intelligentias, & iudicia veritatis, & non transgredientes iam positos terminos, vel diuinorum patrum traditiones. Sed etsi ad scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo*

Ecclesi. 8.  
quoniam  
ambrosius  
lib. 3.  
cap. 7.

ambrosius  
lib. 3.  
cap. 7.

Ambr., lib. 3.  
de fide ad  
Gratianum.

ambrosius  
lib. 3.  
cap. 7.

ambrosius  
lib. 3.  
cap. 7.

modo Ecclesie luminaria, & doctores suis scriptis exposuerunt & maiorem ex his laudem assequantur, quàm si ea quæ à se dicuntur, componant: ne dum quandoque ad id hesitant, ab eo quod conuenit excidant. Præterea cum inter fideles quæstio exorta esset de intelligentia illius testimonij Ioannis, 19. *Ad Iesum autem cum venissent ut viderunt eum iam mortuum, &c.* Eaquæ ad Vienenſe Concilium referretur, Concilio præſens Clemens ita loquitur, *Nos ad sanctorum patrum, & doctorum communem sententiam Apostolica considerationis acie conuertentes sacro approbate concilio, declaramus, &c.* Sedes ergo Apostolica & concilium Vienenſe cum de fide, & intelligentia sacrarum literarum pronuntiant sanctorum communem sensum tanquam Thæſei filium tenent, eosquæ tanquam duces intelligentiæ sequuntur. Concilium etiam Lateranenſe sub Leone 10. actio. 11. *Præcipit omnibus qui euangelicam veritatem populum docturi sunt, ut sanctam scripturam iuxta interpretationem doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbauit,*  
*expla-*

Ioan. 19.

Clement. r.  
de summa  
TrinitateConc. Lateranen.  
actio. 11

*explanent. Nec quicquam eis proprio sensu contrarium, aut dissonum adijciant, sed illis semper insistant, quæ à præfatorum doctorum interpretationibus non discordant.*

Est etiam idem definitum apertius in sacrosancta synodo Tridentina sessione, 4. in hæc verba: *Decrevit sancta synodus ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo sua prudentia innixus in rebus fidei, & morum ad adificationem doctrinae cristianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat.*

Poteram etiam addere decretum quintæ synodi ex Iuone titulo undecimo libro secundo capite decimo quarto, alterum etiam simile concilij Meldensis, capite undecimo, ex Burchardo libro primo capite sexagesimo primo. Sed multa præterimus ne disputatione longa negotium lectoribus facessamus.

Quod



Quod verò de consensione dicit, nihil 3. Consensio.  
aliud est, quam vt cum in illa ipsa antiqui-  
tate quidquam dissensionis repertum fue-  
rit, plures & probatiores sequamur, si nihil  
est ab Ecclesia definitum, aut si iam illa sen-  
tentiam exposuit suam, eam nos quamuis  
doctis, & pijs relictis, præferamus. Cypria-  
nus martyr cum multis collegis suis bap-  
tismum hæreticorum inanem esse prædi-  
cabat, sed multò plures catholici aliter  
sentiebant, prius etiam quam quidquam  
Ecclesia statueret, præponi debuit pluriū  
Episcoporum, atque sanctorum aucto-  
ritas.

Contra verò Constantio Imperatore  
Arrianorum furor ubiq; grassabatur, diri-  
piebantur templa, sacerdotes in exilium  
mittebantur, nemo erat pene, qui cum  
Liberio Pontifice filium esse patri æqua-  
lem diceret, non fuit cedendum impuden-  
tissimorum hominum dementiæ, inuitis  
omnibus Episcopis, & vniuersis contradi-  
centibus fides concilij Niceni retineri de-  
buit.

Sed cū res in controuersiam vocatur,

de qua nihil à maioribus nostris dictū invenimus, id maxime probandum, & confectandum est, quod aut ad sacras literas, Ecclesiæq; decreta, aut ad sanctorum Patrum opinionem propius accedere videtur.

Quoniam autem ea quæ nos vera esse poscimus, confirmanda sunt, meminisse debēt auditores id quod ab Aristotele prudentissime dictum est, 1. Ethicorum, cap. 7. & 2. methaphisicorū, cap. ultimo, *Non esse æquè certa, firmaq; argumēta ubiq; expectanda, sed in omnibus, ut materies ipsa patitur: ea enim sunt in re quaq; maxima, quibus maiora esse alia non possunt.*

Itaq; in Dialectica, & in phisica valida, atq; robusta argumenta cēsantur illa, quæ si ad geometriam transferrentur, aut simili proponerentur, nemo posset à risu vindicare.

Incidemus sepe in disceptationes quæ apertis, & ineluctabilibus sacrae scripture, conciliorumq; testimonijs, aut potentissimis rationibus terminentur, optabile esset ut ea semper argumenta suppetere

Arist. 1. eth.  
cap 7. & 2.  
methaph. e.  
ultimo;

res ipsa interdum non patitur, præclare se  
res habebit, si probabilia ad faciendam fi-  
dem instrumenta reperimus.

Cum verò argumētis abundabimus, ha-  
benda est ratio dispositionis, mihi quidem  
illa placet, quæ Antonio, nobilissimo orato-  
ri apud Marcum Tullium, ac ipsi quòque  
Ciceroni in oratore maximè probatur,

*Vt firmissimum quoddam, primum, ac ultimū  
sit, mediocria in mediam turbam conjiciā-  
tur. Res enim, inquit, hoc postulat, ut eorū  
expectationi qui audiunt, quàm celerissime  
succurratur, cui si initio satisfactum non  
sit, multò plus sit in reliqua causa labo-  
randum: malè enim seres habet, quæ non  
statim, ut dici capta est, melior fieri vi-  
detur.*

Cicer. 2. de  
oratore.

In scribendo autem sunt prorsus ob-  
servanda eadem, quòniā semper, ut dixi,  
docemus. Sed duo sunt vehementer vi-  
tanda, ne nimij simus in scriptoribus no-  
minandis, quos ut testes adducimus, sed  
nonnullos, atq; eos quidem antiquiores  
præferamus, locaq; quasi digito ostenda-  
mus, ne turba ipsa lectorem, non tam do-

Scribendi  
ratio.

cere, quam defatigare, atq; obrruere, velle videamur. Nec Iurifconsultos huius temporis imitemur, qui in rem vnam eandēq; perspicuam quocūq; cōuerrere possunt auctores, quamuis sordidos, & humiles, & nonnullos cum vix dum in lucem prodierunt sine delectu congerunt.

Alterum est verborum redundantia, & & iuuenili quadam dicendi impunitate, aut (vt verius dicam) loquacitate, in rebus præsertim scholasticis minimē vtamur, quod quidam nostra ætate fecerunt, longissimis verborum ambagibus pauca complectentes, & abutentes otio, patientiaq; lectorum.

Igitur in scholasticis disputationibus dictio erit dilucida quidem illa, & expedita, & quantum fieri poterit, pura, sed brevis tamen atq; concisa, cui nihil addi, detrahi ve possit.

In sacrae autem scripturae explanatione, (vbi multa ad pietatis excitationem, ad fugamq; vitiorum scribenda sunt, quemadmodum in homilijs Ioannes Chrysostomus, Augustinusq; fecerunt) ac multò ma-

gis in alijs libris, aut catholicae fidei veritas, & antiquitas aduersus haereticos assertitur, aut de rebus ad religionem expectantibus disputatur, vberius quoddā, & liberius, gratusq; dicēdi genus adhibendū est.

Sed est vbiq; fugienda ostentationis suspicio, grauitasq; retinenda, & perspicuitas amanda, ne (quod Augustus Caesar de Marco Antonio dicere solebat) scribere malimus quę homines admirentur, quā quę intelligant, aut illud potius ab Apostolo audiamus, *Nisi manifestum sermonē dederitis, quomodo sciatur id quod dicitur, eritis enim in aëre loquētes.* Ac rursus, *Nā tu quidem bene gratias agis, sed alter non edificatur.* Augustinus in quarto libro de doctrina christiana, capite octauo, sanē ita dicere praecepit, *Vt aut valde tardus sit qui non intelligat, aut certē in rerum quas exponere volumus difficultate, & subtilitate, non in nobis, sit causa obscuritatis.*

Cū sacrōrum librorum enarrationē suscepimus, officij nostri erit, vt ait Hieronymus in prooemio lib. 3. ad Galatas, obscura differere, manifesta perstringere;

Ostentatio  
fugienda.

1. Corint. 4.

1. domi T. 2.

Aug. lib. 4.  
de doctrina  
christ. c. 8.

Hier. in pro  
oemio lib.  
3. ad Galat.



in dubijs immorari, ita tamē vt in primis in historico sensu laboremus, deinde ad allegoriam, præcipuē in veteri testamento ad tropologiamque, cū commodum fuerit diuertamus, modo historicū vnū esse intelligamus, quo aduersa refutantur, confirmanturque nostra.

Ex hoc igitur cū in ea loca inciderimus, quæ indocti, & instabiles homines deprauant ad suam perditionem, doctrinam Ecclesiasticam ad fidem, ac mores pertinentem veram esse ostendemus, hæreticosq; suis ipsorum gladijs iugulabimus, & semper aliquid huiusmodi ex scriptura eliciemus, neque enim frustra dictum est illam esse vtilem, *Ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.*

Et quāuis Hieronymus, qui in hoc genere summa cum dignitate versatus est, sæpissimē veterum scriptorum sententias referat, nec iudicium de illis ferre soleat, sed opinione in lectori dare, vt ille arbitrio suo probet quod verius esse existimauerit, idq; ipse enarratoris munus esse dicat lib. i.

Apologetico aduersus Rufinū: mihi parum  
facere videtur, qui nihil amplius facit. Nā  
multorum dicta, variasq; cōgerere inter-  
pretationes, non est eruditionis, sed lectio-  
nis, non est iudicij, sed diligentia, non est  
maturitatis, sed laboris. Hoc iuuenes etiā  
efficere possunt, nos à viris doctis, & in in-  
telligendo, atq; in docendo exercitatis nō  
tām expectamus quid alij senserint, quām  
quid ipsi putent maximè sentiendum, cūr  
aliorum expositionem non probent, cūr  
preponant suam. Quemāmodum ergō,  
si in biuiō vtra via duceret ad urbem qua-  
reremus? vix eū ferre possemus, qui quos-  
dam hac, alios illac ire responderet, nihil  
ipse certi ostenderet: ita qui aliorum opi-  
niones sine iudicio adducunt suo, per mo-  
lesti esse solent, addunt enim māgis quām  
adimunt dubitationem.

Si quando cum hæreticis in pugnam  
descēdimus, freti causæ nostræ veritate, &  
Deum nobis fautorē pollicentes, intrepidi  
prodeamus, ac illud Pauli meminerimus,  
*Quemāmodum Ioannes, & Mambres*  
*resisterunt Moyse, ita isti resistunt ve-*

lib. 1. c. 1.  
 Apol. 1.  
 ad Rom. 1.  
 1. Thim. 1.

Pfal, 43.

*ritati, homines corrupti mente, reprobī circa fidem, sed ultra non proficient, insipientia enim illorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Et illud Dauidis psalmo, 43. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.*

Iacobi vlti.

*Quoniam autem id scribendi genus non odio, aut egritudine animi suscipiendum est, sed studio fraternæ charitatis, ut fidem Ecclesiæ defendamus, ut eum in quem disputamus, & eius discipulos ab errore liberemus (quoniam ut est in epistola Iacobi, Qui conuerſi fecerit peccatorem ab errore viae suæ, saluauit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum) non conuitijs, sed lenitate agendum est, non est trahendus, sed ducendus, ut ei non gloriā nostram, sed salutem suam quærere videamur. Quamòbrem Apostolus qui viderat contumelijs incendi, atq; irritari animos hominum, non sedari, aut placari, ita de his loquitur in, 2. epistola ad Timoth. cap. 2. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem,*

2. Thim. 2.

*lem, patientem, cum modestia corripientem  
eos qui resistunt veritati, ne quando Deus  
det illis pœnitentiam ad cognoscendam ve-  
ritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à  
quo captivi tenentur ad ipsius voluntatē.  
Id est, modeste, & leniter cum illo age, atq;  
cum hominibus qui ceciderunt illi quidē,  
sed erigi possunt, alieni sunt à fide, sed pos-  
sunt fieri domestici fidei, excisi sunt ab oli-  
ua, sed possunt inferi in oliuam.*

*Si autem eam patientiam, & tranquil-  
litate[m] animi cum inimicis Ecclesiæ ser-  
uamus, multò maiorem ostendere debe-  
mus cū aduersus fratres nostros in Apo-  
logijs disceptare cogimur. Admirabilis  
Augustinus fuit in priori, multumq; lau-  
dandus, multi ex horum temporum scrip-  
toribus in posteriori reprehendendi, Dili-  
gentissimè autem percipiendum est (vt apud  
Ciceronem aiebat Antonius) ne quid no-  
bis excidat, quod cause obsit, quòdq; in nos  
utantur aduersarij. Quod ille in oratore  
vel maximum putat.*

*Deinde controuersia consideranda est,  
tòtaq; animo cernenda, atque illis integu-*

mentis dissimulationis suæ euoluenda, argumentaq; expendenda, nec solum quid illi agant, verum etiam quid agere velint, attendendum: neq; primæ hastæ leniter iactandæ sunt, vt cū brachiū cōcalefecerit pugnare incipiamus, statim nervos intēdamus, sit initiū quōq; vehemēs atq; pugna.

Si in refellendo aduersario firmior esse oratio, quā in confirmandis nostris rebus potest, omnia in illum tela conferamus, si nostra facilius probari, quā illa re-dargui possunt, abducere animos à cōtraria defensione, & ad nostrā traducere conemur, ita tamē vt nullū eius defugiamus argumentum, nam facile omnia diluamus, si causæ vim, naturāque videamus.

In confirmatione prima s tenent sacræ literæ, traditiones Ecclesiasticæ, conciliāq; Romani Pontificis auctoritate constabilita: sed habent etiam magnam vim illa quæ nondum eam stabilitatē adepta sunt. cum omnium patrum, aut multorū consensus, & rationes ex natura ipsa rerū erutæ, quas hæretici eludere nō possunt. His omnibus in cōfirmatione vtimur, cū enim negatium



tium alterum esse verū necesse sit, falsum alterum, tūm maximē aduersariorum dicta infirmamus, cum probamus nostra.

Sed est præterea attentissimē quærendum, an pugnancia locutus fuerit? sibi que aduersetur ipsi? hinc enim omnia cum veritate pugnare demonstrabimus, quando quidem semper sibi constet quod verū est, coherere semper falsa non possint.

In diuinæ legis testimonijs, in quibus heretici, vel nimij sunt, loca ipsa videamus & ad Ecclesiæ sanctorumq; trutinam perpendamus, nam ea semper in alienum sensum trahunt, quemadmodum eorum magister sathanas, quod de custodia Angelorū bonis viris promissū erat, ad Christū transfudit Dominum, & conditorē Angelorū. Interdum rectē intelligunt, sed nihil ex illis efficiunt, quia verum vero aduersum esse non potest. Sæpē in ipsis verbis, aut propē verba ipsa nonnulla prætermittunt, quibus ipsi redarguuntur, & antecedentium difficultas explicatur. Fecit hoc quoque ille à quo hæretici mille nocendi artes, fallendique didicerunt. Si enim de Christo

prædictum putabat esse, *Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Cur non illud etiam quod continuò sequitur adebatur, *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Dacronem?* Sed nimirum (vt Hieronymus dixit super hunc locum Matthæi) *De Angelorum auxilio quasi ad infirmum loquitur, de sua conculcatione, quasi terguersator tacet.*

Permulta etiam sunt in maiorum nostrorum monumentis quæ securè sibi excidere passi sunt, quoniam cum viris bonis, & optimè omnia interpretantibus loquebantur, quædam rei amplificandæ causa quasi audacter dicta, alia quamuis ea quidē pauca non tantum ambigua, sed etiam abhorrentia à veritate: quæ quoniam hæretici auide arripiunt, vt ijs suarum errorum nouitatem contegant, & quasi dormientis Noe pudenda cum Chamo retegunt. Nos vt maledictionem fugiamus, & duorum fratrum benedictionem accipiamus, eos imitemur, qui nuditatem patris neq; suis

Hieron. super  
Matth.  
an cap. 4.

Genes. 9.

fuis temerare oculis, neq; alienis patere  
 voluerunt, sed auersi incedentes operue-  
 runt. Aut igitur verba illa multo aliter in-  
 terpretanda esse dicemus, aut molli in-  
 terpretatione leniemus, aut eo tempore  
 quo dicta sunt sine periculo potuisse dici,  
 cum res nondum erant ellucidatę, aut cer-  
 tē mirum non esse hominem quamuis  
 doctum, & pium semel aberrasse: bene id  
 tam multis præclarē, & pereleganter  
 scriptis compensatum fuisse, nèque ip-  
 sum voluisse, nec fieri debere, vt vnus  
 hominis sententia multorum, aut Ec-  
 clesię auctoritati præponeretur. Deni-  
 que in omnibus argumentis quę So-  
 phistica esse constat, multum vsui esse  
 potest ea dialecticę pars, quam

Aristoteles copiose tradidit

in Sophisticis redargu-  
 tionibus.

(.?.)

CAP.

*De desiderio utilitatis aliorum, quod propriissimum est perfecti concionatoris.*



AB ETIS iam ea, quæ de grauitate vitæ diximus, de desiderio utilitatis aliorum, quod vnum rudes, & indifertos homines eloquentes facit, ingenium acuit, vires auget, format actionem: quod quidem concionatori à modum necessarium esse omnes ostendunt, & docent.

Equidem multos vidi, quorum sermo ieiunus à modum, & aridus insuauisque videbatur, qui postea dicentes incredibilem hominum admirationem concitabant, efficiebat videlicet illud magister artis, ingenijque largitor desiderium. Nam illa vis, & conatus, ardorque animi, sine quo frigent omnia, & verba ipsa mortua videntur, quique argumenta, & verba suggerit, vocem & gestum corporis moderatur, ex hoc oritur, & emanat, non enim possumus

mus ardentem dicere, nisi quod vehementer optamus.

Qui ergo emolumentis aliorum totis studuerit, non suis, gloriamque contempserit, qua plerique ad dicendum incitantur: efficiet id quod est in hoc genere precipuum, nihil ut dicat quod auditores percipere non possint, quoddamque sterile, & non nimis utile videatur.

Atque utinam pauciores hoc vitio laborarent, multi enim nunc in ambiguis, & arduis quaestionibus, quasi in campo versantur suo, nunc ex abditiore philosophiae difficilia depromunt, quae vulgus ignarum non capiat, sed miretur, eaque similitudinibus illustrantes, & certis orationis insignibus ornantes populo imponunt, plaususque excitant: sed cum abiit inanis illa auzium voluptas, tota illa elegans, & eloquens concio evanescit. Quod ergo Euripides de principis educatione, ac institutione dicit, *Ne pulchra nobis, sed quibus eget civitas*, Id sibi concionator vendicare debet, ut possit cum Apostolo gloriari, *Non nos metipsos predicamus, sed Iesum Christum*



*Christum Dominum nostrum.*

Quid enim insanius, quam cū te ministerium Dei profitearis, gloriolam captare? quæ ad auditorum doctrinam, & exhortationem pertinebant, quia perspicua sunt, preterire? altiora quærere? nebulas, ac fumos venditare?

Et ut oratio nostra non longiùs euagetur quàm oportet, hoc ex ipso Paulo (quē ego perfectam summi concionatoris formam, speciemque iudico) quid dicendum nobis sit, hoc est quid populo expediat audire discamus.

Cū plebeios, aut rusticanos homines docemus habenda est imbecillitatis eorū ratio, & ad eam est concio nostra attemperanda, quemadmodum cum Galatis, quos stultos vocat, apertius loquitur, Ephesios ac utioris ingenij, doctrinæque maioris reconditionibus instruit mysterijs.

Ad Gala. 3.

Ad Ephes.  
1. & seqq.

1. Cor. 2.

Ad Corinthios verò paulo hebetiores ita scribit, *Et ego cū venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientie, annuntians vobis testimonium Christi, non enim iudicavi me scire aliquid*  
inter

inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Nec multò post, Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.

1. Cor. 3.

Inter perfectos autem sapientiam se loqui dicit, sed quam sapientiam? Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: videtis igitur eadem de re Paulum loqui inter perfectos, & imperfectos, (Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus) verum non eodem modo, sed ubiq; quæ admodum auditorum ingenium, & utilitas postulabat.

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

Quid verò præter hæc præcipit, illa ne quæ in scholis præcipiuntur, de quibus homines otiosi, & cõtemplationi rerum dediti philosophantur? Diuitibus (inquit) huic faculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarũ, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in se.

Ad diuites.  
1. Tim. 6.

futurum, ut aprebandant veram vitam.

Ad Senes.

Et ad Titū, 2. Tu autem loquere qua decent sanam doctrinam, Senes ut sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione.

Ad Anus:

in patientia: anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, bene docentes ut prudentiam doceant: adolescentulas, ut viros suos ament,

Ad adolescentulas.

filios suos diligant, prudētes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbū Dei.

Ad iuuenes

Iuuenes similiter hortare ut sobrij sint. Nul- lam hominum conditionem prateriuit, seruos quòque vult Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.

Ad seruos.

Ac ne sim nimis onerosus, in epistolis ad Timotheū, & ad Titum, quos ut Ecclesiæ doctores instituebat, & in postremis cæterarum epistolarum partibus vbi quid ipse faciat ostendit, diuina quadam facultate, & vbertate, quæ sit concionatori subiecta materies, & quibus rebus tota eius vis cõtineatur, edocet. Hinc igitur ea quæ dici-

tur-

turi sumus petere licebit, atque ex cate-  
ris scripturæ libris, sed maximè ex diuina  
illa Christi in monte concione, in qua (si

Aug. libr. 11.  
de sermone  
Domini in  
monte. c. 1

Augustino credimus) omnis christianæ  
vitæ institutio, ac perfectio exposita est.  
Ac deinde quemadmodum optimus  
intelligendi, atque dicendi magister Pau-  
lus in præclaris illis literis suis, primum eos  
quibus cum loquitur salutatur, eisque gra-  
tiam & pacem præcatur, mox temperato  
quodam genere dicendi, admirabilique  
auctoritate docet, & multa, ac magna de  
religione exponit, postremò ad finem  
festinās, omnes præstantes ingenij fontes  
effundit in cohortando, in odio vitiorum,  
atque in amore virtutis commouendo, ita  
nos in dicendo facere debemus.

In tres ergo partes totam, auctore  
Paulo, concionator distribuet concio-  
nem. Prima versabitur in illo charitatis  
officio, salutationeque christiana, ut non  
solum postea quàm exorsus est, sed etiam  
(quod Augustinus non omisit) cum ad di-  
cendū accedit, sibi disertā linguā, christia-  
noq; doctore dignā, populo bonā mentē,

Concio. in  
tres partes  
diuidenda.

Aug. lib. 4.  
de doctrina  
chr. cap. 15.  
& ultimo.

S atq;

atque aures diuinarum rerum capaces petat. Hinc ad euangelij mysteria retegendam, atque enucleandam, aut, si id tēporis est, ad diem celebritatem explicandam proficiscatur: ac postea in themate ipso, inque illis ipsis euangelij mysterijs insistentem, omniaque ad mores referens, magno animi ardore, vel vitia profliget, vel quasi quibusdam verborum facibus admotis ad studium pietatis accedat.

# CAPVT. XV.

*De libertate in loquendo, dignissima  
virtute concionatoris.*

L. berras in  
loquendo.



AM AD postremū huius tractatelli ventum est, ad libertatem in loquendo, quam postremo quidē loco numeravi, sed est admirabilis virtus in concionando, amatrix honestatis, assentationis inimica, magnitudinis animi comes, & euangelicis doctoribus dignissima. Verū enim efficit hæc virtus, vt cum id muneris suscipimus, atq; profitemur, quod nostram



nostram superat dignitatem, communis  
 nature quodammodo obliuiscamur, cum  
 magna auctoritate & grauitate dicamus  
 deprauatos hominū mores lenitate quidē  
 animi, sed seueritate verborū corrigamus.  
 Neq; magis hic regum, aut optimatum ti-  
 more, & quasi reuerētia, quā abiectissimo-  
 rum hominum conditione moueamur.  
 Qua in re vt in omnibus princeps fuit Pau-  
 lus, quē neq; maleuolentiæ, neq; inopiæ,  
 neq; contumeliæ, neq; vero mortis timor  
 à libertate dimouit sua, neq; regū, tyran-  
 norum ve metus fregit, sed homo panno-  
 fus, & manibus victū quærigans, vinculo-  
 rū, aut verborum patiens, quem vix multi  
 aspicere vellent, eam in dicendo dignita-  
 tē, maiestatemq; retinebat, vt tū etiam cū  
 maximè premebatur, nō reus, sed iudex ef-  
 se videretur. Quamobrē Timotheo præci-  
 pit, *Prædica verbū, instā opportunè, impor-  
 tunè, argue, obsecra, increpa in omni patiē-  
 tia, & doctrina.* Et ad Titū. 2. *Hæc, inquit,*  
*loquere, & exhortare, & argue cum omni*  
*imperio. nemo te contemnat.* Videlicet id à  
 Christo acceperat, cuius se imitatorē esse

2. Timot. 4.

Ad Tit. 1

Matth. 7.

profitebatur, de quo hæc memorię prodidit Matth. 7. *Admirabatur turba super doctrinam eius, erat enim docēs sicut potestatem habēs, & non sicut scribæ eorū, & Pharisei.*

Act. 4.

Hos duos concionatores tuto imitari possumus, ac illos etiam qui Senatui, & sacerdotibus Hierosolimæ responderunt, *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, iudicate, non enim possumus quæ vidimus & audimus non loqui.* Quid autem postquam eos princeps sacerdotum vinciri iubet, terrentur, aut debilitantur timore pœnarum? aut concionatoriam abijciunt libertatē? Minimè, *Obedire enim, inquiūt, oportet Deo magis quā hominibus.*

Act. 5.

Esaï. 58.

Iam quam liberè vitia sint reprehendēda, satis illud declarat, quod Esaïæ dictum est, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Cū præsertim apud Ezechielem cōminantē Dominum audiamus, *Si dicēte me ad impium: Morte morieris: non annuntiaueris, neq̃ locutus fueris, ut auertatur*

Ezech. 3.

à via

à via sua impia, & viuat, ipse impius in  
 iniquitate sua morietur, sanguinem au-  
 tem eius de manu tua requiram. Hae-  
 etiam laude maiores nostri maximè flo-  
 ruerunt: nam qua animi firmitate, atque  
 constantia sacerdotes, ac principes ciuita-  
 tis Christus reprehendebat? qua seueritate  
 vitia notabat? Ioannes Baptista Phariseos,  
 ac Saduceos, & quidem ad baptismum ve-  
 nientes, progenies appellat viperarum.  
 Ad Herodem Regem quasi ad priuatum  
 hominem venit, nec ambagibus vtens,  
 nec colorem quærens, palam exclamat,  
*Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*  
 Qua vero cum libertate fuisse putatis,  
 quem ille ipse qui occiderat, timeret, & re-  
 rum à Christo gestarum magnitudinem  
 audiens, quasi territus ac pauens ait, *Hic*  
*est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mor-*  
*tuis.* Ac meritò quidem timebat, si enim  
 resurrexisset vel euulsa (vt equidem arbi-  
 tror) lingua eius libidinem, & scelera re-  
 futasset.

Math. 23.

Math. 3.

Marci. 6.

A. 1634

11-1034

Stephanus in summum sacerdotem, ac  
 frequētē Senatū quam acriter quam

A. 1634

acerbe inuehitur. *Dura cervice, inquit, & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resististis, sicut patres vestri, & vos quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores, & homicida fuistis. Sic & Helias adstante exercitu, in Imperatoris & populi vniuersi conspectu istius modi pronuntiabat. i. Regum. 18. Quousq; tandem vtriusq; vobis claudicabitis, &c.*

Paulus ne in hoc quidem genere cui quam inferior, hostibus vndique stipatus Ananiæ Pontifici, cuius iussu pulsatus fuerat, *Percutiet te Deus, inquit, paries dealbate, Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti. Nec mirum profecto cum Barnabam collegam suum, ac Petrum Pontificem Maximum, quem vt Christum alterum habebat, & venerabatur, palam à se reprehensos fuisse dicat, quod non rectè ambulant ad veritatem euangelij.*

*Illud fortasse magis mirum, permultos esse, non dicam concionatores, sed assen-*

tatores, qui tam perspicuis patrum nostro-  
rum exemplis minimè mouētur, sed adul-  
terantes, vt Paulus ait, verbum Dei, prin-  
cipum peccata, quos semper adsectantur,  
aut laudant, aut dissimulatione (quæ est ra-  
cita quædā laudatio, & ad maiora adhor-  
tatio) contegunt. Hos exugunt duæ fan-  
guisugæ, quæ semper dicunt, asser, ambi-  
tio, & auaritia, ac miserabili præmunt ser-  
uitute, quare id in alijs accusare non pos-  
sunt, quod in se vident, nec si possent face-  
rent, ne potentioribus displicerent, in qui-  
bus suæ dignitatis præsidia collocarūt. Nec  
vident se in duplici vitio esse, nam ea tacēt,  
quæ tacenda non erant, ideoq; ab Esaia vo-  
cantur, *Cæces muti non valentes latrare,*  
*videntes vana, dormientes, & amantes*  
*somnia*, Et ea sæpe laudadāt assentandi cau-  
sa, quæ à viris bonis nefaria iudicantur: de  
quibus scriptum est, *Popule meus, qui te*  
*beatum dicunt, ipsi te decipiunt*. Et Hiere-  
mię, 23. *Et in prophetis Hierusalem vidi si-*  
*mitudinem adulterantium, & iter men-*  
*dacij, & confortauerunt manus pessimarū,*  
*ut non conuerteretur unusquisq; à malitia*

2. Cor 4.

Prouer. 30:

Esa. 56:

Esa. 31

Jerem. 23:



*sua, facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores eius quasi Gomorrha. Qui enim cōsentit & tacet accusare eum, quem arguere necesse est, vel admonere, vel increpare, hic non fugiet diuinum iudiciū.*

*Me quidem maxime illud terret quod aduersus istos mollibus vestitos, qui in domibus regum sunt in Paulo lego, Si adhuc hominibus placerem Christi seruus non essem. Nec minus quod egregiè à Dauide dictum est, Deus dissipauit ossa eorum quæ hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Hæc habui quæ de libertate dicendi, facultatēq; concionandi dignum vobis dicere iudicauī sed his si uis, exercitatioq; accedat, magnū, ac mea quidem sententia, perfectum cōcionatorem habebimus.*

## CAPVT. XVI.

*De aliquibus præceptis rethoricæ christianæ, ad perfectum concionatorem maxime concernentibus.*

**T**ANDEM ut iam tractatello huic finē imponamus, restat solum ad has res or-

Ischius lib.  
6. in leuit.

Ad Gala. 1.

Psal. 52.

nandas, atq; augendas, ut quam maxima  
potero festinatione, aliqua præcepta lecto-  
ribus transferā, & exponā. Nam licet bea-  
tissimus August. in lib. 4. de doctr. Christ. c.  
1. multa de ratione exponendi sacras lite-  
ras populari oratione scribat, & rethoricā  
concionatori non inutilem esse fateatur:  
nec quæ sint eius præcepta dixit, nec quo-  
modo in concionibus possit adhiberi.

Ego verò, quoniam verunq; necessariū  
puto, cætera rhetoribus relinquens, sum-  
ma tantum capita notabo, atq; attingam,  
eaque non ad causas forenses, ut illi, sed  
ad nostras conciones accommodabo. Quæ  
sicum ijs, quæ sunt superius dicta iungan-  
tur ridebimus, atq; exagitabimus aliorum  
ineptias, & ne cupientes quidē poterimus  
nisi recte concionari.

Omnis ergo dicendi ratio duobus quasi  
capitibus continetur, in duasque partes  
distributa est, in vim oratoris, & oratio-  
tionem, nam quæstionem omitto.

Vis oratoris posita est in inveniendis  
rebus, atq; verbis, in collocando, & dispo-  
nēdo quæ inuēta sunt, in eloquēdo, in me-

© 1719  
Printed by

Aug. lib. 4.  
de doctrina  
Christi.

T. 1. p. 179  
P. 1. p. 179  
P. 1. p. 179

Aug. lib. 4.  
de doctrina  
Christi.

De dicendi ra-  
tio, duplex.  
In vim ora-  
toris & ora-  
tionem.

© 1719  
Printed by  
vib. q. m. q. p.  
conf. f. m. q. p.  
vib. q. m. q. p.  
vib. q. m. q. p.

moria, in actione venusta & graui.

Orationis  
partes sex.

Orationis partes sex sunt, quarum due principium, & peroratio, non tam ad docendum, quam ad impellendos animos adhiberi solent, ceteræ ad rem potius docendam valent, narratio, partitio, confirmatio, & refutatio. Hæc sunt tanquam oratoris instrumenta, quibus ad id quod sibi propositum est, perueniet, vt de omni re aptè, copiosè, ornateque dicat, delectando, mouendo.

Tria præcipua in arte  
oratoria.

Hæc enim est totius artis summa, sed singula sunt nobis ordine repetenda. Et quidem hæc tria nobis quodque proposita esse, docere vt instruamus, delectare vt teneamus, flectere vt vincamus, nec Augustinum latuit, nec negare debemus. Nam tametsi potior est docendi, persuadendiq; ratio, multum ad vtrunque delectando iu-  
bamur, libèter enim percipiunt homines quod non auditur sine voluptate, facileq; sibi persuadent, quod auditu quodq; iucundum fuit.

August. 4. de  
doctr. chrif.  
cap. 13.

Inuentio,  
quid sit &  
quomodo  
ad res, &  
verba re-  
fertur.

Atq; vt de vi oratoris, quæ natura prior est oratione, dicamus. Inuentio ad res, vt  
dixi,

dixi, ad verbaq; refertur, res nunc assumamus, verba ad elocutionem referuimus.

Quærenda sunt igitur argumenta, quibus fidem faciamus eis, quibus volumus persuadere, & quædam eorū sedes, & quasi domicilia notanda, quæ Aristoteles in. 8. lib. Topicorum, diligentissimè tradidit.

Arist. in lib.  
8. Topic.

Cicero breuius vno ad Trebatium libello comprehendit. Has sedes, atque hoc locos in quibus latent argumenta, in numerato concionator habere debet, vt facile quod voluerit, aut probare, aut refutare possit. Alii videlicet esse in re ipsa, de qua controversia est, infixæ, atque insitæ, alia extrinsecus assumi. Insitæ dicuntur, definitio, totū, genus, species, differentia, proprium, partium enumeratio, notatio verbi, atque ea quæ ad id quod quæritur affecta sunt, coniugata, similia, dissimilia, contraria, coniuncta, antecedentia, consequentia, repugnantia, causæ, effecta, maiora, paria, minora, extra rem ipsam, quæ à Cicerone dicuntur remota, præiudicia, testimonia diuina, aut humana, iuramenta, tabulæ.

Cicer. libr.  
ad Trebat.

Insitæ in  
pænetralibus  
quæ diuina  
sunt.

Hæc non sunt à me explicanda, sed ex

his

his quos nominavit auctoribus, ac præcipue ex Rodolpho Agricola petenda, per noscenda tamen sunt, ac penitus memoria tenenda, nihil enim est in quo his locus esse non possit. Iam quæ cuique rei maxime consentanea, aut dissentanea sint, non est artis, sed prudentiæ.

causarum  
genera sunt  
tria.

Tria sunt genera causarum, laudatio, deliberatio, iudicium: in laudatione vituperatio, in deliberatione suasio, & dissuasio continentur: iudicii multæ sunt partes, quæritur enim factum ne sit, iure, an iniuria factum sit, quale sit, aut quo nomine vocetur, quomodo sint ambigüe, aut contrariè scripta interpretanda.

Ad hoc tertium genus, quod usu frequentius, dignitate præstantius videbatur, Marcus Tullius, & Fabius, ceteriq; scriptores, omnem suam diligentiam contulerunt, reliqua duo, quoniam erant quòque faciliora, leuius attigerunt.

Nos autem qui non versamur in labore illo forensi secus faciemus: nam quæ ad iudicium pertinent prætermitemus, quoniam nihil ad conciones facere



cere videntur, ac illud quod in delibe-  
rando, & in laudando, vituperandò-  
que ponitur, accuratius paulò perseque-  
mur.

Nemo enim est qui non videat in con-  
cione multa sæpè laudari, multa repre-  
hendi, consilia populo in vtrànq; partem  
dari vt aliquid faciat, aut non faciat, sua-  
deri vtilia, noxia dissuaderi, de magnis,  
ac arduis rebus deliberari: quamòbrem  
ex illis communibus locis argumenta  
promenda sunt, & ad hæc genera accom-  
modanda.

In hominibus laudamus genus, no-  
men, opes, formam, ac dignitatem oris,  
vires, & firmitatem corporis, ingenij acu-  
men, iudicij subtilitatem, memoriæ tena-  
citatē, his rectè, & moderatos vsos esse,  
si habuerint, si non habuerint, aut studio  
suo cōparasse, aut eis sine dolore caruisse,  
si amiserint, patienter, & sapienter tulisse.

Sed præcipua laus est in ijs quæ non na-  
tura, aut fortuna dantur hominibus sed in-  
dustria & dono Dei parantur, in prudētia,  
in cognitione rerū diuinarū, aut humana-

rum, in fortitudine, temperantia, liberalitate, magnanimitate, ac multò magis in iustitia, in fide, in spe, in charitate.

Laudatur quòque vehementer liberalis educatio, optimorum virorum amicitia, displicuisse malis, bonisque placuisse, cœlestia semper cogitasse, quæ vulgus admiratur contempsisse, aut à Deo, aut à laudatissimis hominibus laudatos fuisse.

Sæpè etiam amplificationis causa alios extollimus, quos comprobatione vtentes ab ijs, de quibus loquimur ostēdimus fuisse superatos. Hæc sunt in laudatione faciēda, in vituperatione contraria. Quorum omnium exempla non solùm in oratoribus, & poetis, verùm etiam in diuinis libris ostendere possemus, sed neque res exemplis indiget, & ego breuitatem sequor.

Hoc genere nunquam non vti possumus, sed potissimùm cùm anniuersaria sanctorum festa celebramus, cùm mortuos laudamus, cùm de virtutibus loquimur, aut vitijs. Laudamus quòque sine hominibus virtutes, dicta, facta, vrbes, ac loca, idque

Vituperatio quo modo & ex quibus fiat.

ijsdem ferme ex locis, sed est semper vehementer providendum vt ea laudibus effeciamus, quæ auditoribus prossunt, & quæ bonis viris placent, quæ ab his dissident eleuemus.

In deliberatione autem nonnunquam aliquid persuadere conamur, quod solum esse bonum dicimus, aliquâdo ex duobus bonis, vtrum sit melius, experibiliusque dubitatur. Cùm aliquid persuademus, honestum esse, laudabile, vtile, facile, necessariũ, iucundumque dicemus. Magnum verò pondus habet (quod ego ab optimis oratoribus prætermisum esse miror) cùm dicimus si minimè id fecerint quod volumus, homines optimè de se meritos, aut ea præcipuè virtute præstantes, qua ipsi excellere cupiunt, ægerimè luros, doloreque absumendos esse. Quemadmodum Nestor princeps Græcorum ad singulare cum Hectore certamen his impellit verbis.

*Nunc Senior Peleus domitor lachrymarum equorum,*

*Myr-*

Deliberatio quomodo fiat & eius generis exempla.

*Myrmidonum ductor Peleus prudensq;  
Senator*

*Qui mihi, multa rogans, rectis latatus  
in altis*

*Graiorum sobolem, & seriem memora-  
bat auorum*

*Hectoris hos si nunc turpi formidine  
captos*

*Audierit, duplices attollet ad athera  
palmas*

*Spiritus ut Ditis liber descendat ad um-  
bras.*

Ed Ephes. 4

In nostris auctoribus simile quodam modo est illud, *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in die redemptionis.* Quamobrem cum magna res est, excitandi sunt etiam mortui, & in concionem adducendi, ut loquantur ipsi sordidati, ac maesti, si ita necesse erit, & collachrymantes, interdum irati, & seueri.

Cum duo comparantur ostendemus id quod nos praefereamus firmitus esse, ac diuturnius, a prudentibus, & doctis praeferrari, per se bonum esse, causamq; boni, atque omnibus bonum, suapte natura tale esse,

non

non arte, in re præstantiore coherere, finē esse non id quod ad finem refertur, aut si ad finem referatur, illum esse meliorē, aut hoc propinquius esse fini. Maiorum bonorū causam esse, aut certe minorum malorum, omni tempore prodesse, minus hoc homines carere velle. Atque hæc omnia ad persuasionem cuiusvis rei accommodare possumus, si comparisonem auferamus eademque, si in contrarium mutentur, efficiunt etiam dissuasionem. Hoc genus in omnes pene conciones intrat, nam cum semper auditores cohortari debeamus, ubique iuvat, ut ad virtutes, & præcepta illa quæ in euangelio maxima vocantur, nunc per se, num cum contrarijs conferendo ducamus, à vitijsq; auocemus.

Peruassio  
quo modo  
facienda,

Dissuasio  
qualiter in  
concione  
fiat:

Collocatio magnam vim habet, nam ut vniuersa hominis membra, si aliter quàm nunc sunt, disponderētur, prodigium esset, ita quæ inuenta sunt, & ex locis illis in quibus latebant educta, nisi ordine ponantur, ac digerantur suo, portentosa futura est oratio. Ac ordinem quidem illum Ciceronis, hic etiā nō inuitus probo, quo validissimis argumentis primū, ac postremū locū me-

Collocatio  
quo modo  
fiat:



diocribus medium dedit: tum etiam laudando vt exordium doctrina, doctrinam exhortatio, aut dehortatio sequatur.

Elocutio  
quid sit, &  
eius virtus.

Elocutio propria est eloquentis, & ad conciliandos, tenendosque animos perutilis, ad docendum aptissima, ad delectandū potentissima, ad mouendum validissima: ea in verbis singulis, in coniunctisq; spectatur, in singulis intuendum est, ne sint barbara, nouata, peregrina, sordida, humilia, poetica, obsoleta, nam hæc iure reprehenduntur, & exagitantur, sed propria personarum, propria linguæ nostræ, aperta, visitata, ornata, ac propriè demonstrantia ea, quæ significari volemus: ita enim habebimus in dicendo perspicuitatē, quæ est maxima virtus orationis. In cōiunctis verbis, vt rectè cohæreant, nō vitiosè, sed eleganter, non dure, sed molliter, non concursu asperarum literarum, aut hiatu nimio vocalium, non ita vt quæ seiuncta pura sunt, coniuncta in obscœnum intellectum detorqueri possē videantur.

Est etiam oratio quibusdā luminibus, ac insignibus respergenda, quæ cū modo

gra-

grauitatēque adhibita incredibilem adferunt decorem, & dignitatem. Atque hæc quædam ad verba pertinent, quædam ad sententias: & quæ in verbis insunt, partim in significatione cernuntur, partim in quadam collocationis varietate.

In significatione, metaphora, synecdoche, antonomasia, metonymia, catachresis, hyperbole, ironia, allegoria, periphrasis.

Figurarum  
monita uti-  
lis & neces-  
saria.

In collocatione, cum multa orationis membra idē principiū, aut eudē finē habent, quæ repetitiones, conuersionesq; dicuntur, cum verba sine interpositione, aut cum interpositione geminantur, in quibus est conduplicatio, & cōgeminatio. Cū cōtraria sine negatione ponuntur, quæ antithemata vocantur, aut cum negatione, quæ à Marco Tullio paria paribus relata nominantur, & orationē faciunt suauē, atq; numerosam. Ad hanc etiā partē refertur, cōpar graue, cum nomina paribus adiectionibus ornantur, paronomasia, quam efficit duarum vocū sonus similis, sensus dissimilis, nomina, ac verba similiter cadētia, ac alia quæ à Quintiliano, & Cicerone numerantur.

In sententijs autē sunt, vt addubitatio, vt correptio, vt apostrophe, vt præoccupatio, vt personæ fictio, quam Græco nomine prosopopeiam vocamus.

Amplificatio quantum iuuat elocutioni.

Elocutioni multum suauitatis, & ponderis addit amplificatio, quæ quot modis fiet, ita est à Quintiliano copiose, & eleganter explicatum, vt ea nunc repetere, superuacuum & inane videatur.

Risus vehementer fugiendus in concione, & omnia quæ ad risum promouent.

De risu multa quodq; sunt ab oratoribus dicta, sed quia dici ridicula in concione non possunt, quin aliquid grauitati decerpatur, cõtēnenda mihi videtur hæc pars, planēq; fugiēda, & sermonibus reseruanda, non concionibus. Quid enim absurdius, aut leuius quā (quod multi facere conantur) cum de rebus grauib, & serijs dicitur, ridiculū videri velle? aut quid est aliud quod Apostolus *Stultiloquiū*, atq; *scurrilitatē* vocat, quæ nobis dicit esse vitanda. Quo in loco Hieronymus scurrilitatē esse docet, quā ioculacitatē multi dicunt, quæ consultò verba urbana, facetaq; appetit, eamq; à sanctis viris penitus excludendam, quibus magis conuenit flere, atq; lugere: refertque ex

Ad Ephes. 5.

Hieron.

Hebraico euangelio Christi verba, *Nunquam lati sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in charitate*, Et verò vt omittam magistrum, ac seruatores nostrum Christum, quem sæpè plorantem, nunquam ridentem in euangelio videmus: non frustra illud scriptum est, *Fatius in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit*. Atque illud sapientis concionantis, *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra decipiens?*

Ecclesi. 11.

Ecclesiastes 2.

Numeri quos in orationibus clarissimi oratores adhibuerunt, miram habent venustatem, & aures incredibili voluptate demulcent, si latinè dicimus, contemnendi non sunt. sæpè enim populū exclamare faciunt, plaususq; excitant & Augustinus se illis vsum fatetur in, 4. de doctrina Christiana, cap. 20. Cyprianus inficiari nō potest, est enim tota eius oratio numerosa. Ac de his nonnulla Aristoteles, plura Marcus Tullius, Quintilianusq; dixerunt: quos ego missos facio, quoniam in linguam nostrā incidere non possunt. Nam apud nos alia est versus ratio, quos numero

Numeri in oratione quantū præstent.

Aug. lib. 4. de doctrina chr. cap. 20.

syllabarum, aut aurium iudicio, non breuitate, aut longitudine metitur. Itaq; dactylos, & spondaeos, & choreos aliosq; pedes non habemus, sunt enim multae syllabae, quae breues ne sint, an longae, nemo poterit iudicare. Sed conandum tamen est, vt comprehensiones perfectum habeant, completumq; ambitum verborum, neq; curtae sint, neq; redundantes, id enim est in numeris praecipuum, earumq; magnitudo, non tam praecipitis, quam aurium sententia terminatur. Nec verò statim auribus credendum est, nisi fuerint orationi Ciceronis assuetæ, ex qua non magnitudinem solum cognoscamus, sed quibus ille numeris frequentius vtatur, eisdemque nos adhibebimus, quantum linguae nostrae consuetudo patietur.

Iam antitheta, paria paribus relata, plura verba coniunctionibus copulata, aut sine cōiunctionibus quasi dissoluta, & relaxata, cæteraque sententiarum ornamenta (ex quibus nos dudum quædam numerauimus) numerum efficiunt, quamuis id non agas, oratorium. Atque hæc quæ de



numeris dico eloquentissimis nostrorum hominum libris sæpè vidi, omniumque exempla proferrem, nisi de hoc maximam breuitatem promisssem.

Debet etiam Oratio confirmari exemplis, illustrari similitudinibus, florere sententijs.

Memoria (quæ est scientiarum omnium thesaurus, & custos, sine qua frustra rerum cognitione, & optimarum artium studio laboramus) tametsi tota ferme est nature, arte traditur, exercitationeque augetur. Sed in arte hoc aiunt esse maximum, ut animo quæ sunt dicenda complectentes, in partes tribuamus, easque in totidem locis, aut simulacris peruulgatis, ac præcipuis, & ad rem, quam ea significare volumus, accommodatis, ubi dicturi sumus colloceamus. Mihi optima memoriæ ars videtur, nihil memoriæ in multum tempus credere, sed exigere crebrò, eaque minimè confidere (nihil enim est hac confidentia periculosius) semper aliquid discere, ac cogitare. Illud etiam non parum iuvat, quæ scribimus, in membra diuidere,

Oratio exemplis, & similitudinibus & sententijs debet ornari.

Memoria quid sit, & de eius necessitate, & quæ ad memoriam iuvant.

eorumque principia quibusdam insignire notis, quas cum ediscimus, quoniam sæpius videmus, in memoria infigimus, facileque ipse notarum ordo, res ipsas ut recorderemur, facit. Atque ego potissimum rationem haberi volo rerum, & sententiarum, sed deinde, si fieri possit, verborum, ita ut res ipsas quasi generatim memoria teneamus, sæpeq; animo & mente voluamus, ut eas, si labi contigerit, conseruemus, verbis tantum pericitemur.

Mirabile dictu est, semel cum ad dormiendum secesseris legere, eademque mane memoriter dicere, quantum valeat ad ediscendi celeritatem, & ad memorię firmitatem.

Pronuntiatio quid sit, & eius utilitas,

Postremo est pronuntiatio, utilitate pene prima, cōsecutione difficillima, atq; eò magis quo paucioribus præceptis continetur. Est autem in hac multum operæ, diligentiaq; ponendum, nō enim laudantur, aut mouent optima quæ dicimus, nisi optime dicantur: ideòq; ingeniosissimis hominibus tardiores, disertissimis infantes sæpè præponi videmus, & multorū concio-

nes vix sine risu legimus, quas plaudētibus, ac exclamantibus auditoribus illi ipsi qui scripserunt, pronuntiant. Deniq; sine hac verba tanquam exanima videntur, & sunt, affectus omnes languescunt, oscitatione soluitur qui audit, aut si intentus est, magis ridet, quam mouetur.

Eius duæ sunt partes, altera in voce posita est, & pronuntiatio dicitur, altera in motu corporis, & actio vocatur, quàmuis ambas iam vtraque appellatione, sine discrimine notamus.

Pronuntiatio duplex neminatur alia in voce, alia in motu corporis.

In pronuntiatione curæ debet esse vox, ne rusticana, ne absona, ne parum virilis sit, quæ quamuis natura dantur, exercitatione valde emendantur, & excoluntur. Itaq; ad literas rectè proferendas, ad oris vitia corrigenda, ad vocem confirmandā, & quasi poliēdam, ad spiritum parandum, (quæ sunt omnia pernecessaria) vsus adhibendus est, sæpeque ita dicendum, ac si in magna hominū frequētia consisteremus: vocem cum re ipsa mutabimus, & ad eum affectū, quem in nobis apparere, & in audiētibus efficere volemus, attēperabimus,

In pronuntiatione quæ maxime sūt curanda:

si dolemus erit miserabilis, si petimus, supplex, si irascimur, vehemens, & atrox, si docemus, placida & sedata.

Actio quid sit & eius virtutes & præcepta ut recte fiat.

Actio verò, quæ est quædã corporis oratio, diligenter curandũ est, ut quemadmodum de voce diximus, nec muliebris sit, aut scenica, nèque agrestis, & incomposita, sed summa gravitate res ipsas quæ dicuntur consequens, & vocis comes, neque tantum oratoria, sed etiam concionatoria. Nam ut oratores maiorem in se actionis dignitatẽ, & quasi auctoritatem, quàm in histrionibus volunt, ita ego honestiorem & seueriorem, ac magis virilem in concionatore, quam in oratore desidero.

Status erectus, & celsus, caput etiam erectum, non supinum, quod arrogantia est, non rigidum, quod barbariam indicat animi, non inclinatum, quod est languoris non deiectum, quod est humilitatis.

Vultus in docendo plenus auctoritatis, in cohortando lenitatis, in reprehendendo seueritatis, cum honesta dicuntur, quasi auiditate quadam sequens, & appetens, cum turpia memorentur, horrens, & auersans.

sans. Denique vultu ipso qui est animi testis & interpret, nos viros bonos esse, publicæque vtilitatis amatores significemus: gaudere bonis, malis dolere, sentire quæ dicimus, ac ex animo loqui, alioqui verbis ipsis quamuis ornatissimis auctoritatem adimemus, & fidem.

Moderata etiam esse debet iactatio brachiorum, nam nimia vitiosa est, quam tamen in multis concionatoribus videmus, magis ad gladiatorum, quam ad grauium consuetudinem virorum: vidi ego quemdam, qui cum diceret, *Apprehende arma, & scutum*, non tantum brachijs, & manibus, sed totius corporis gestu, & inclinatione, ac celeritate militari, quam vix histrioni permetteremus, gladium se stringere simulabat.

Pfam. 34.

Denique rebus ipsis, & vultui, cum iactabuntur, congruent. Cum magna contentione dicimus, brachiū procerius quasi quoddam telum orationis proijciemus. Cum rei altitudinē exprimere volumus, vtrunque leuabimus. Cum profunditatē, in infinium locum iaciemus. Cum aliquid nobis



nobis cupimus, in nos metipfos contrahe-  
mus. Cum auersamur, dextero proiecto  
repellemus.

Manus autem, & digitorum argutiæ  
vitio dari solēt, suus debet in his inesse mo-  
dus, ac in ipsis & brachijs, totòque corpo-  
re, gestus obseruādi & imitandi sunt, quos  
omnibus dat natura, quique rebus secun-  
dis, aut aduersis, in ira, in timore, in lætitia,  
non consilio apparent, aut arte, sed quo-  
dam tacito instinctu, impulsuque naturæ,  
modo in omnibus personæ nostræ, ac  
muneris grauitas, decorumque serue-  
tur.

Sed de vi oratoris plura fortasse quam  
institueramus diximus, nunc de oratione  
ipsa pauca dicamus.

Eam in sex partes distribuimus, sed in  
concione quatuor ponimus. Exordium,  
partitionem, confirmationem, conclusio-  
nem: nam narratione nihil indigemus. Si  
quæ autem erunt refutanda, id erit in con-  
firmatione faciendum.

Exordium apello quod ante concio-  
natoris, populique preces dicitur. Illam ve-  
rò

Exordium  
quid sit, &  
quomodo fa-  
ciendum.

rò myſteriorum euangelicorum, aut celebritatis dici explicationem, confirmationem voco, quoniam multa in ea ſunt aperienda & confirmanda: quam ſiquis in narrationem diuidat, & confirmationem, quoniã illa obſcurarum rerum interpretatio quandam habet ſpeciem, imaginẽmq; narrationis, nihil equidem repugno, dum ea tantum dicat in cõcione præſtanda eſſe, quæ nos diximus.

Exordijs noſtri ſenes ſemper vtebantur, ſed obſoleuit iã penè iſta conſuetudo, quia quod in exordio fieri ſolet vt auditoris animũ apparemus ad audiẽdũ, ac docilẽ, attẽtũ, beneuolũq; reddamus, id partitione ipſa facimus, qua ſummã dicẽdorũ breuiter exponimus, atq; de rebus magnis, & vtilibus, & ad pietatẽ religionẽq; pertinẽtibus, nos verba facturos pollicemur. Quare niſi aliquando res poſcere videatur, omittẽdũ eſt exordiũ, nam neq; audiẽtibus magno pere prodeſt, & cõcionem efficit longiorem, quod maximẽ vitare debemus, ne populũ deſeſſum iam, & nihil libenter audiẽtem, inuitum, repugnantemq; teneamus.

Confir-  
matio, ſeu nar-  
ratio quid  
ſit in cõcio-  
ne.

Partitio  
quid ſit.

Cum verò necessarium videbitur, breue erit principium, & rei de qua agitur congruens, habebitque aliquid, quod ad motum pertineat animorum.

In confirmādo & refellendo, quod maxime pro sit.

In dicendo, in confirmando, in refellendo, ea quæ diximus, obseruanda sunt, & testamenti prioris vmbrae cum posterioris veritate copulanda, & cōferendæ, vt Christum, atque Apostolos cum Mose, ac prophetis consentire doceamus. Similisque simus *Scriba docto in regnum cælorum, qui profert de thesauro suo noua, & vetera.*

Match. 13.

Dicendum recte quo modo.

Et quoniam caput artis est dicere, accuratissimè videndum est, in tota oratione, quid nos, officiumq; nostrum doceat, quam modestiam, grauitatem, libertatemque habere debeamus, quid eos qui adsunt deceat audire, quid ferre possint, (nèque enim apud omes eisdem verbis, eisdem rationibus, eodèmq; modo dicendum est) ac denique quid res, de quibus agitur, decere videatur. Est enim indecorum & ridiculum de rebus paruis amplissimis verbis, & vtilissimis submisisse, & subtiliter exclama-

mare in leuibus peccatis, ô tempora, ô mo-  
res, in grauibus serenitatem vultus, atque  
animi tranquillitatem conseruare.

In peroratione totas ingenij, totas elo-  
quentiæ vires experiri licet. Nam quamuis  
per totam concionem quædam effectuum  
mouendorum quasi semina spargantur,  
in hac omnia effunduntur, nec tantum  
mouentur animi, sed etiam impelluntur.  
In hac cæterarum partium fructus positus  
est frustra enim delectamus, docemus, nisi  
moueamus. atque hoc in loco solent mul-  
ti cumulare, & enumerare omnia quæ  
prius dixerunt, ad memoriâ auditorum  
reficiendam, quorum ego sententiâ lau-  
do, sed tunc fieri volo, cū concio longius-  
cula fuit, multa que habuit dicta sapienter,  
& quæ iterum expediat audiri. Si enim bre-  
uiter dicta sunt, aut non admodum egregia,  
& vtilia fuerunt, non erunt illa repetenda.  
Sunt autem omnia breuiter enarranda, &  
summa tantum capita, vt nomen ipsum in-  
dicat, percurrenda, ne non tam enumera-  
tio, quàm altera concio videatur. sed ea no-  
uis verbis, nouisque sententijs exponemus,

Peroratio  
quid sit, &  
quo modo  
sit facienda

ne molestia afficiamus auditores, & aliquando illorum gratia nos facere significabimus, aliquando nostra quasi dicta recordari, & ne quid forte exciderit videri cupiamus.

Cumq; in exhortatione rapido, & incitato cursu feramur, maximèq; in ea sit elaborandum, ac ideo brevis esse non possit, mihi videtur concio enumeratione, non exhortatione claudenda. Sæpè numero etiam precibus clauditur, animo atq; oculis in cœlum leuatis, cum de rebus arduis dictum est, quæ aut intelligi, aut effici sine maximo Dei favore non possunt, aut eæ sunt in quibus posita est summa pietatis. Certè quicumque futurus sit exitus, paulò prius quam finiamus, remittenda est illa vocis, animique contentio, atque ardor restringendus, quasi aut ampliùs ferre nō possimus, aut res tanta sit nullis ut ei clamoribus satisfieri queat. Atque ita Marcus Tullius cum paulò ante fulminauerit, aut fleuerit, desinere solet, quemadmodum in Miloniana, *Sed finis, inquit, iam sit nã præ lachrymis loqui non possum, & hic se lachrymis defendi vetat.* Sed

Cōcio quando enumeratione, & quando precibus claudenda sit.

Quid faciendū ante finē concionis.

Cicero in Miloniana.



Sed quòniā sapē de animi motibus diximus, in quibus est potissimus vsus eloquentiæ, ijque in peroratione maximè excitantur, paucis quòmodo id consequamur exponam, ideò enim, cū a diuentionem pertinerent, in hunc reseruau locum.

Affectus animi sunt, amor, odium, cupiditas, lætitia, dolor, misericordia, spes, timor, & id genus alij, sed nobis ij sunt maximè considerandi, atque in his permouēdis nostra versari debet oratio. Incitandi enim homines sunt in amorem Dei, atque virtutum, in odiūque vitiorum, in æternæ beatitudinis cupiditatem, in lætitiā cū aduersis rebus fracti, ac debilitate iacent. In dolorem cū se malis voluptatibus dediderunt. In misericordiam vt sui & aliorum misereantur. In spem futurorum bonorum. In timorem sempiternarum calamitatum.

Sed est tentandum, atque conandum vehementer, vt cum ipsum affectum, quē excitare volumus, verbis ipsis, atque ipsa forma & ipso charactere dictionis expri-

Affectus animi, quot, & qui sint.

Affectus hominum quo do permouendi sunt. In amorem Dei & virtutum & in odium vitiorum.

mamus, quale est illud.

*Tum miles tremulus posita tulit arma  
tyara*

*Etruit ante aram summi Iouis, ut ve-  
tulus bos.*

Verba ipsa miseranda sunt, & simul  
ruere videntur. Virgilius quoque imagi-  
nem morientis accepit, cum ait.

Virg. Ænei.  
10.

*Sternitur infelix alieno vulnere, cœ-  
lūque*

*Adspicit, & dulces moriens reminisci-  
tur Argos.*

Psal. 78.

Simile est illud in nostro lyrico. *Posue-  
rant morticina servorum tuorum escas vo-  
latilibus cœli, carnes sanctorum tuorum  
bestijs terræ, Et quæ sequuntur, omnia enim  
sunt miserabilia.*

Ad Rom. 8.

Quid Paulus, cum fortitudinem ostē-  
dit animi sui, non eam verba præferunt?  
*Certus sum, inquit, quia neq̃ mors, neq̃ vi-  
ta, neq̃ Angeli, neq̃ principatus, neq̃ vir-  
tutes, neq̃ instantia, neq̃ futura, neq̃ forti-  
tudo, neq̃ altitudo, neq̃ alia creatura pote-  
rit nos separare a charitate Dei, quæ est in  
Christo Iesu Domino nostro.*

Deinde ne tempus, atque operam perdamus, & frustra tantum laborem suscipiamus, si dolere alios volumus, si amare, si odisse, si cupere, si timere, si flere, nobis prius dolendum, amandum, odium suscipiendum, cupiendum, timendum, atque lachrymandum est. Nam impetrari nullo modo potest, ut ego dum rideo, lachrymas audientibus eliciam, est enim in omnibus tacitus naturæ consensus, & necessitudo quædam latens, ut in risum alijs ridentibus soluamur, & cum lugentibus sæpè etiam sine causa lugeamus, quod est pereleganter ab Horatio dictum.

Horatius in  
arte poeti-  
ca.

*Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt.*

*Humani vultus, si vis me flere dolendum est.*

*Primum ipsi tibi.*

Quod autem magnum, ac mirabile videtur, toties dolere, toties amare, toties omni per motione animi concitari, facile erit ei qui aliorum compendium querit, non diu, & dicere cum Paulo potest, *Quis*

2. Corin. 11.

*infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Si enim id histrio in scena facit, & inuitus sæpè lachrymas non tenet, cùm in Ecclesia homo caritate flagrans, & amore publicæ utilitatis incensus facere non possit?*

Amoris affectus quomodo mouendus auditorum, vt suauiter accipiant ea que in concione dicuntur.

1. Corin. 13.

Ac vt amorem nobis conciliemus, qui est initium & caput affectionum aliarum, & facile non repugnantes, nec timentes, sed beneuolos, & tecuros trahamus, fidem que nobis haberi faciamus, id velle docere, & suadere, & defendere videamur, quod est vtile ipsis, neque honore, neque pretio ad id adduci, licuisse nobis quietos esse, nisi rei indignitate, & eorum malorum gravitate moueremur. Quemadmodum summus ille concionator, *Non quero, inquit, qua vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis: ego autem libentissime impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris. Quis hunc non amaret? quis huic non crederet? quid hic ab auditoribus non obtineret?*

Odium etiam in hæreticos, & in eos qui  
ali-





casſe, nihil ſibi ad ſummi erga nos amoris indicia relinquum feciſſe, Filium ſuum nobis dediſſe, & quidem vt ignominioſe uenci dederetur, ſemper vtilitati noſtri ſtudere, vt amorem amore compenſemus efflagitare, quis erit tam barbarus, aut inhumanus, vt non in Dei amorem, in tantæ foelicitatis & firmam ſpem, & deſiderium mirabile rapiatur?

Affectu ſtimoris quomodo permouendus, & quæ ad hoc maxime iuuent.

Cum verò aduerſarij noſtri dolos, odiũ, inuidiam, maleuolentiam, rabiẽ, furoremque oſtendimus, ac nihil aliud quàm perniciẽ noſtram machinari; cumq; virtutis dignitatem & pulchritudinem, vitiorum faciẽ execrandam declaramus, ſeruos nos atrociffimorum hoſtium peccatis noſtris fieri, eorum crudelitatem, immanitatẽque ſatiare, omnibus rebus anteponendam eſſe libertatem, quæ tamen ſolius virtutis eſt comes, inimicos Deo reddi, cuius bonitate viuimus, & ſumus, naturæ noſtræ munus & honorem amittere, belluiſque comparari: facilẽ omnium animos in odium ſordidarum voluptatum, & in dolorem criminum permouebimus.

His

His etiam, ac poenarum atrocitate, & sempiternitate, loci ipsius obscuritate, horrore, luctu, conscientiaque tacita, sed acerba scelerum vindicatrice, incutietur timor.

Par est ratio lætitiæ, dicemus enim semper bonis, à Patre optimo, & clementissimo Deo, laboribus, quasi verberibus corripì solere, nullum esse certius, aut diuini amoris indicium, aut beatitudinis pignus, contemnenda esse omnia quæ hic accidunt: *Non esse condignas passionēs huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

Affectus lætitiæ quomodo fiat.

Ad Rom. 8.

Iam misericordia, quæ magnas vires habet ad mouēdū, quia communes misérias ante oculos ponit, in quas aut incidimus, aut incidere possumus: tum vehemens est, cum corū de quibus loquimur præstantē florentēmq; fortunā memoramus, & ad mala præsentia venimus, vt de Priamo.

Ad misericordiā quomodo monendum.

*Tot quondam populus terrisque superbum*

Virgil. lib. 2  
Æneid.

*Regnatorem Asia, iacet ingens litore truncus*

Iere. Thre.  
cap. 1.

*Anulsumq; humeris caput, & sine nomi-  
ne corpus. Et illud de Hierosolima, Quo-  
modo sedet sola ciuitas plena populo facta  
est quasi vidua domina gentium, princeps  
provinciarum facta est sub tributo?*

Virg. lib. 2.  
Æneid.

*Præcipue cum nulla sua culpa in tam  
calamitosum deuenit statum. Ut*

*Quem falsa sub proditione Pelasgi  
Insontem, infando iudicio, quia bella  
vetabat,*

*Demisere neci.*

Iob, 16.

*Et quod de se ait homo iustus & rectus,  
& timens Deum, Ego ille quondam opu-  
lentus repente contritus sum, tenuit cervi-  
cem meam, confregit me, & posuit me qua-  
si in signum sibi. Et statim, Facies mea in-  
tumuit à fletu, & palpebra mea caligane-  
runt, hæc passus sum absque iniquitate ma-  
nus mea, cum haberem mundas ad Deum  
preces.*

2. dil. ligui V  
b. 2. 2.

*Petendumque est ut qui audiunt, dum  
alios intuentur, ad se ipsos reuertantur, &  
quæ de alijs deplorantur ad res suas reuo-  
cent, quas aut tulerint acerbis, aut ferre  
possint. Mouetur etiam misericordia,  
cùm*

cum mala, quæ omnium consensu grauissima sunt, nobis metipsis imprecamur, aut contigisse cuperemus, vt ea, in quibus sumus, effugere liceret. Nam qualis erat Hecubæ dolor, quam grauis calamitas, cum Priamum quem secum confert, foelicem vocari iuuat.

*Non est Priami miserranda mei*

*Mors, Iliades, felix Priamus, dicite cunctæ.*

Aut in nostris, quæ mala Iobi, cum ait?

Iob. 10.

*Quare de vulua eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret.*

Aut cum ea quæ multò minora sunt, intoleranda esse dicimus, si nudi essent, neq; eis vestes quæreremus, quis nos ferret, at non solum nudos, sed etiam fame confectos

videtis. Et cum homines, vt eos sui ipsorum misereat, hortamur, iisdem vtemur locis.

Ita Paulus Galatas admonet prioris sue foelicitatis, vt ad eam redire conentur, *Vbi est*

Ad Gala. 4.

*ergo beatitudo vestra? testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros seruissetis, & dedissetis mihi.*

Atq; in omnibus partibus quidē oratio-

Ouidi. libr.  
13. Metamorph.

nis, sed in hac præcipuè, quod erit ad mouendum potentius, aut ad probandum firmitus iterandum aliquid est vt apud Ouidium Vlysses.

*Nec me lacryma, luctusque, timorque  
Tandarunt quin corpus humo sublime  
referrem*

*His humeris his inquam humeris ego  
corpus Achillis,  
Et simul arma tuli.*

Aliquando diuersis locis, verbisque diuersis, vt in causa Milonis sæpè repetit Marcus Tullius, arma armis repelli posse, iniuriam iniuria: & Paulus ad Romanos & Galatas scribit multis in locis.

Exercitatio  
valde neces-  
saria ad rec-  
te concio-  
nandum.

Hæc ferme sunt artis præcepta, quæ quidem pertinere ad nos putaui, sed mea quidem sententia inania erunt, nisi natura, exercitationeque iuuentur. Nam qui naturam habet à dicendo nimis alienam, & totum ab arte expectat, hunc ego à concionibus ad contemplationem rerum, & ad otia dimittam.

Quòd si quis arte totam bene concionandi rationem contineri putat, is non videt



det difficillimum esse optimum concionatorē inuenire, præcepta faciliè teneri. Adhibendus est igitur vsus in audiendo, & in legēdo eos, qui præclari in hoc habiti sunt, & qua quisque virtute præstet, videndum: id enim multò magis quam ars homines (vt quidem Augustino videtur) eloquentes facit.

Audiēdi, et legēdi sunt multoties præclari in hac arte.

Aug. libr. 4. de doctrinæ christ. c. 3.

Quæ autem in singulis maximè excellent, siue elocutionis sint, siue actionis, diligentissimè nobis persequenda sunt, & vt multorum, optimorumque virtutes coniunctas habeamus: id enim Ciceronē, quantus est, fecit, quod vim in Demosthene, copiam in Platone, iucunditatē in Isocrate & admiratus, & imitatus est: non vt multi, qui ea, quæ vulgaria sunt, aut etiam vitiosa consecretantur, multas & egregias virtutes relinquunt.

Egregia aliorum concionatorū imitanda sunt.

Deinde accedat exercitatio, qua illos quos imitari constituimus effingamus, atque exprimamus, amicos accersamus, qui quæ minus decorè dicta sunt, aut facta, reprehēdant. Multi, enim, qui præclare dicere potuissent, parum multitudini proban-

Exercitatio quātum valeat.

tur,

tur, quia nullos habuerunt, à quibus liber-  
re, & amicè monerentur. Nam non sæpè  
concionando, sed bene concionando effi-  
citur, vt quis bene cōcionetur: quid enim  
peruerse dicendo, nisi vt facicillimè per-  
uerse dicamus, assequemur?

Quamòbrem in istis exercitationibus  
(tametsi laboriosum, & molestum esse vi-  
deatur) vtilius est omnia, quæ dicēda sunt,  
scribere, & ediscere: nam sumpto spatio ad  
cogitandum ille rerum, verborumque de-  
lectus, illa sententiarum grauitas, illa to-  
tius orationis ornamenta, numeri, com-  
prehensionum iusta magnitudo, facilius  
inueniuntur, & parantur, & ad ita semper  
dicendum assuescimus: vt non immerito  
stylus præstantissimus dicendi effector, ac  
magister censeatur. Nec verò nos immen-  
sus propè labor deterreat, siquidem nihil  
magnum sine labore efficere possumus, &  
ipse paulatim vsu minuetur: nec citò dicē-  
do fit vt bene dicatur, sed bene dicendo fit,  
vt citò dicatur.

Sed restat vt ea quæ hæcenus dicta sunt  
bene dirigantur, vt illi qui boni, & veri cō-

ciona

cionatores esse cupiunt, siue ad populum  
siue ad quoslibet alios dicturi, vel dictatu-  
ri sint, priusquam ad legendum, vel studē-  
dum accedant, & antequam concionem  
agrediantur, Deum adorent auctorem cō-  
filiorum suorum, & maximo, atq; arden-  
tissimo animi conatu orent, eaq; vt diri-  
gat, ac semper in melius prouehat, petant:  
illi se ac labores suo dedident: seruos se es-  
se meminerint, & frugi vt sint Domini sui  
familix laborare debere. Si enim regina  
orauit Hester, pro suæ gentis temporaria  
salute locutura apud Regem, vt in os eius  
Deus congruam sermonem daret, quan-  
tò magis orare debent, vt tale munus acci-  
piant, qui pro æterna hominum salute in  
verbo, & doctrina laborant.  
Illi vero qui ea dicturi sunt, quæ ab alijs  
acceperunt, & ante quàm accipiant orent  
pro eis, à quibus accipiunt, vt eis detur,  
quod per eos accipere volunt, & cū ac-  
ceperint, orent, vt bene & ipsi proferant,  
& illi ad quos proferunt, sumant, & de  
prospero exitu dictionis eidem gratias a-  
gant, à quo id se accepisse non dubitant,

Sap. 7. vt qui gloriatur in illo gloriatur, in cuius manu & nos, & sermones nostri sunt. Sic rem tam excellentem, penitusque diuinā assiduis magis precibus, quā magnis & diuturnis laboribus consequentur: vt inquit beatus Iacobus, *Si quis vestrum indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* At Salomon omnium hominum sapientissimus, hæc nobis Dei loco, ac nomine pollicetur, prouerborum, cap. 2. *Si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentia, si quaesieris eam quasi pecuniam, & quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies, quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia.* Quibus verbis operam ac diligentiam nostram postulat, nec in his tamen spem esse collocandam, sed in oratione. Rectè verò id dicere, docerèq; poterat, qui quātum precibus efficeretur, in se ipso fuerat expertus, *Optauit enim, & datus est illi sensus, & inuocauit, & venit in eum spiritus sapientie.* Vt igitur cibos à benedictione,

Rabani in  
Ecclesiasti.  
lib. 3. c. 18.

Iacob. 1.

Prouer. 2.

De 402311

Sap. 7.

ita quotidianum laborem, ac nocturna  
diurnaq; studia ab oratione exordiamur. Augu. epis.  
112.

Ut enim est auctor Augustinus, *Qui didi-  
cerunt à Domino Iesu Christo mites esse, &  
humiles corde, plus cogitando, & orando  
proficiunt, quàm legendo, & audiendo.*

Sed si aliquis dicat quò modo in tam va-  
riarum multiplicia genera scientiarum (si-  
cuti superius diximus) vnius hominis ani-  
mus distractus, atque diuisus, ad grauiora  
& utiliora poterit peruenire? Nam morta-  
lium ingenium suapte natura imbecillum  
est, & exiguos quosdam, atque angustos fi-  
nes habet, ac ætas ipsa brevis, cum multis  
laboribus, & negotijs, tum etiam curis, &  
calamitatibus implicata, vix vt vni suffice-  
re possit, ne dum tantis, tamque diuersis  
disciplinis, rerumque tam multarum, &  
difficilium magnitudine superatus, ne  
salutare quidem, nisi pròcul scriptu-  
ram sacram possit: & studiorum litera-  
rum amœnitate delectatus eius, quò inten-  
debat, obliuiscatur, vt Vlyssis socij, qui  
Loti, nouę, & incognitę arboris suauitate  
capti in patriæ, atque Ducis obliuionem

Homerus in  
odiolla. lib.

venis.



venisse memorantur. Iam à principio cōstitueram, de eo me concionatore loqui, qui summus esse vellet, cui neq; acris, & vehemētis ingenij vis, neq; animus ad res difficiles aggrediēdas, neq; otium, neq; verò studiū decisset, cuius facultas non deberet esse ieiuna, atq; nuda, sed adiuta atq; distincta multarum rerū iucunda quadā varietate.

Equidē hāud scio an ista omnia quæ diximus in aliquo fuerint: esse tamen possunt, & ideo à me proponuntur, vt qui adhæc ipsa propius accesserit, maior in arte suasisit, & quisq; perfecti concionatoris formam animo cōplectens, se ipsum cohorte-  
tur, & perueniat, quò maximè poterit.

Cæterum si quem isthæc ad summum conatus, & ardor animi, aut nature vis, aut tempus defecerit, illa sāltem percipiat, sine quibus concionator esse non potest. Latinas literas probè teneat, Græcas (si quidem licuerit) degustet, mediocrem dialecticę, & philosophiæ cognitionem accipiat, totum deinde otium, & ingenium, quasi oblitus aliorum studiorum ad sacrā theologia conuertat, in ea omni mente, &  
cogi-

cogitatione, & corde sit, in ea cōsenescat.

Huic enim satis esse opinor, multa ex ijs quæ necessaria fore dicebamus, ab alijs audisse, vidisse animo, & cogitatione alia, quædam legendo percurrisse, ac nō vt sua possedisse, sed vt aliena libasse.

Attamen desidero ego meū concionatorē, aut nulla, aut pauca mutuari ab alijs, ne aliunde suspēsas habeat suæ vitæ rationes: nec ab alienis petat, quod domi ex suo habere debeat, quod est plenum iucunditatis, propriūque sapientis.

Habetis iam meum de perfecto concionatore iudiciū, in quo si aliquid ab Ecclesiæ maiorumq; nostrorum prudentia, aut à re ipsa aberravi, quæ certè fuit difficillima, nō equidē inuitus ab errore discessero, neq; enim me pugnare, sed corrigi volo.

Quòd sicam cōcionatoris formam, quā animo cernebamus, nō dico depinximus, sed adumbrauimus, est quòd gratias Deo agamus, veritatis fonti, & omniū auctori bonorum. Si verò ne id quidem assecuti sumus, aut maius opus, quam perfici potuerit, aggressi sumus, veniam peto.

Nec quod hæc de perfecto concionatore dicam, & quid cuiq; desit intelligam, summum me esse in hac arte necesse fuit, sed fortasse nō stultum rei, in qua iam diu versor, existimatorem.

Atq; hæc si ad alios emanauerint, ac vtilia esse sensero, nihil mihi gratius, aut iucundius accidere poterit, opto enim hac mea mediocritate (quā vix mediocritatem appellare audeo) rei publicæ prodesse: quod cum minimè obtinere potuero, nondum mihi frustra videbor laborasse, nam me ipsum ad rei tam præclaræ munus, & facultatem adhortabor, omnemq; curam & laborem adhibebo, yt relictis omnibus alijs ad summum illud veniam, aut quam maximè licuerit accedam.

Genes. 29.

3. Reg. 1.

Et quemadmodum Iacobo post Rachelis nuptias fastidio cæpit esse Lia, & vt Dauid senio confectus, non in priorum coniugum, quas valde amauerat, sed in Abisag pulcherrimæ, atque incorruptæ virginis sinu quiescebat: ita ego iam diu apud me statui, (si modo ad eam ætatem venire poterō) omnibus ethnicorum libris repudiatis

tis in sacris literis amplexibus beatam, ac  
veris voluptatibus affluentem, agere senec-  
tutem. Nullum est enim senilis ætatis aut  
honestius, aut suavius perfugium, & eo mi-  
hi gratius futurum est, quòd duos princi-  
pes viros imitabor, Hieronymum, & eius  
præceptorem Gregorium Episcopum Na-  
zianzenum, qui relictis omnibus in solitu-  
dinem secedentes, & vitam plùs quàm  
mortalium instituentes, totos se sacrarum  
literarum contemplationi dediderunt.  
Quod precor Deum sit ad salutem & emo-  
lumentum omnium proximorum meo-  
rum, ad laudem, & venerationem beatissi-  
mæ, & immaculatissimæ genitricis Dei  
Mariæ Domine, atque patronæ nostræ, &  
ad gloriam Iesu Christi Domini, ac Re-  
demptoris mei, cum quo Patri glo-  
ria, simul & sancto Spiritui,  
in sæcula sæculorū.

Amen.

X 2

PER

# PERORATIO, ET ACTIO gratiarum.



CONFITEOR tibi Pater Domine cœli, & terræ, Pater luminum, & fons veritatis, confiteor tibi in toto corde meo, quia audisti omnia verba oris mei, & opus quod benignitate, & misericordia tua fretus ceperam, ad finem usque perduxisti. Et vereor quidē ne isthæc mea confessio non nihil fortasse insolentiae, atque arrogantiae cuiquam habere videatur. Verum tibi loquor, qui scrutaris corda, & renes, in cuius conspectu nulla creatura est inuisibilis. Nam infernus & perditio coram te, quanto magis corda filiorum hominum. Cogitare de hoc descriptionis genere cæpi, ne multi, & quorundam disputationibus, & ipsa vulgi opinionatione, ac cōsensione decepti gloriam hominum effrænate appeterent, & omnia eius causa honestum iudicarent. Angustum, & breuem sermonem institueram, sed tu alia ex alijs suggerēs, & intellectum meum sapiē-



tuae luce illuminans, longiorem opinionione fecisti. Per multa in eo quaesivi, ac explicare tentavi, quae neq; apud alios unquam inueneram, neq; ipse prius intellexeram, quaedam ne cogitaueram quidem: in quibus mens mea primum quasi in alta quadam caligine versabatur, sepe in omnes partes incerta vagabatur: interdum nulla erat vagandi facultas, sed vno in loco ceu vineta, & implicata tenebatur, donec tu ea soluebas, & illuminabas tenebras meas, ut in lumine tuo viderem lumen. Quod si recte ea quaesita, atque explicata sunt, non est quod eruditioni meae tribuam, quae etiam quantulacumque est, tua est. Erit quod immensam bonitatem, & misericordiam tuam perpetuo laudem, atque adore, atque eo magis quod ipse puritatis auctor, & amator non dedignatus es per pauperem, & inutilem seruum sapientiae, & veritatis tuae splendorem emittere. Si vero id non sum affectus quod volebam, sed in vanitate sensus mei locutus sum: certe a te ut vellem accipi, ut non quererem quod mihi utile est, sed quod multis, ut omnes salui fiant, &

pro hoc tibi gratias magnas agam, quonia  
hoc miseratione tua donasti, illud iniquitate mea abstulisti. At si in animum, tibi placere, ac prodesse tuis, studentem inordinata vlla cupiditas humanæ laudis irrepsit, ab occultis meis munda me: & ne memineris iniquitatum nostrarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Et parce mihi Domine quoniam multa de virtutibus, deq; perfecto & recto modo cōcionandi, deq; perfecta vita, atq; honestate morum dixi, quæ non habeo, sed da vt habeam, qui dedisti vt dicerem, & vt cuperẽ. Vnum peto à te Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, per magnam misericordiã tuam, & per immaculatissimam & beatissimam Virginem Mariam, matrem Iesu Christi Redemptoris mei dominam ac Patronam meam, vt respicias in me, & miseraris mei, quò ea quæ alios doceo, primus exemplo confirmem, & filium tuum Dominum meum sequar, qui facere capit & docere. Deinde vt omnium qui hæc legent mentes illustres, voluntates adiuues, vt veræ

re gloriæ amore in dies magis, ac magis  
incensi, te vnum quærant, atque inueniât,  
in quo est vera, & sempiterna clari-  
tas, ac inexhaustus thesaurus  
bonorum omnium.

Amen.

**S**I aliquid fortasse in his libris dixi, vel  
scripsi dissonum à fide catholica, & à  
dogmatibus Ecclesiasticis (quod Deus a-  
uertat) id præter meam intentionem con-  
tigisse affirmo. Atque id ipsum rejicio, &  
annullo, atque pro non dicto vel scripto  
haberi volo: & sub censura sanctæ Roma-  
næ Ecclesiæ catholicæ, cui me & omnia  
mea, submitto, à cuius fide, & obedien-  
tia in æternum in nullo recedere intendo.  
Et si in cæteris aliquid, quod humanū est  
minus certum & probatum, licet catholi-  
cum protuli id omne, virorum piorum  
atque doctrina præstantium cor-  
rectioni, & emendationi li-  
benter committo.

(.?..)

LAVS DEO.

penet commito.

rectioni, & commendationi illi.

adque deus praestantem coram

eum proculdubio omne virtutum primum

minus certum & probatum, licet catholi-

Et in ceteris aliquid, quod humanum est

ita in aeternum in nullo recedere intendo.

mea, submisit, a cuius fide, & obedi-

me Ecclesiae catholicae, cui me & omnia

haberi volo, & supplicatur, ut & Roma-

annullo, adque pro non dicto vel scripto

trigisse affirmo. Ad quod id ipsum scripto, &

uerat) id praeter meam intentionem con-

dogmatibus Ecclesiasticis (quod Deus a-

scilicet diffonum a fide catholica, & a

Si aliquid fortasse in his libris dixi, vel

Amen.

bonorum omnium.

tas, ac recte alius christians

in quo est vera, & sempiterna clari-

incens, & vultum duxant, adque inueniant,

in gloria amore in dies magis, ac magis



# CAPITA CONTEN- TA IN TRACTATELLO

de perfecto concionatore.

*Prefatio ad Lectorem,*

- C**ap. 1. In quo ostenditur ratio scribendi hunc tractatum, proponunturq; summatim ea, quæ necessaria sunt ad perfectum concionatorem. fol. 1.
- Cap. 2. In quo ostenditur, quantum ad concionatorem, Grammatica, Ars poëtica, Rhetoricæq; valeant. fol. 8.
- Cap. 3. De peritia linguarum, atque de dialectica, ad concionatorem etiam necessaria. fol. 39.
- Cap. 4. De Philosophia naturali, morali, atq; metaphisica, deq; ratione studij philosophici. fol. 51.
- Cap. 5. De Theologia, eiusque partitione, & origine, & in primis de illa parte, quam scholasticam vocamus, & de tribus generibus hominum, qui eam odio maximo prosequuntur. fol. 66.
- Cap. 6. De altera parte Theologiæ, quæ positiua nuncupatur, quæ concionatoris proprijsima est. fol. 83.
